



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**S. Augustinus, Episcopus in Africa Hipponensis, Veritatis
Evangelico-Catholicæ In Potioribus Fidei Controversiis
Testis Et Confessor, Contra Bellarminum Et Alios
Scriptores Papæos, antiquos pariter & ...**

Reiser, Anton

Francofvrti, 1678

Controversia Prima De Sacramentis in genere.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-72506](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-72506)



TOMI TERTII
 Controversiæ Primæ,
 DE
 SACRAMENTIS IN
 GENERE,
 LIBRI PRIMI
 CAPVT SEPTIMVM
 DE

De nomine Sacramenti.



Ita cuius explanationem *Chemnitius* noster contra Bellarminum quoad auctoritatem Augustini vindicandus est. Postquam enim Bellarminus varia pro huius nominis usu Ecclesiastico à Patrum Scriptis laudasset testimonia, in specie ad aliqua Augustini loca provocans, id etiam inde colligi scripsit, *Chemnitium falsa & pugnancia de hoc nomine locutum esse*, verbis nimirum sequentibus: *Augustinus ferme primus cepit vocabulum Sacramenti in hac quidem materia extendere, & latius usurpare, quam Antiquitas fecerat.* Epistolâ enim quintâ ad Marcellinum de Signis loquens, inquit: *Quæ cum ad res Divinas pertinent, Sacramenta adpellantur.* Ut igitur Augustino aliquid sit Sacramentum, satis est, si rei alicujus Divinæ vel Sacræ sit signum. *Subjungit Bellarminus:* At falsum esse, primum fuisse Augustinum, qui extenderit hoc nomen ad alia sacra signa, quam ad Baptismum & Eucharistiam, patet ex omnibus Scripturis citatis, & ex *Tertulliano, Cypriano ac Lactantio*, locis notatis, & præterea ex ipso etiam *Chemnitio*, qui paulò ante sic ait: *Conjunctio viri & uxoris in Conjugio est Sacramentum conjunctionis Christi & Ecclesiæ, Ephes. 5.* Et infra: *Omnes figuras & allegorias, significantes aliquid, Patres vocant Sacramenta.* Tertullianus lib. 5. contra Marc. vocat, *Sacramenta figurarum, & allegorias Sacramentorum*, ubi de duobus Abrahamæ filii loquitur. Et adversus Judæos vocat *Sacramentum ligni*, disputans de securi Prophetæ Elisæi, & de ligno Adæ. *Addit iterum Bellarminus,* Hæc ille, qui viderit, quam benè cohæreat, Augustinum illius rei authorem facere, quæ apud Tertullianum, aliosque Patres vetustos, & apud ipsum Apostolum Paulum inveniatur. *Verum* neque falsa, neque pugnancia aut malè inter se cohærentia *Chemnitium* de Augustino scripsisse, sed Bellarminum potius *Chemnitii* mentem & tractandi methodum nequiter invertisse, diversa nimirum impertinenter conjungendo, & conjungenda separando vel distinguendo, ex ipsis *Chemnitii* verbis erit manifestum. Quæ enim posteriori loco Bellarminus ex eo citavit, de usu vocis Sacramenti Ecclesiastico in genere agunt; quæ autem priori, cum huius vocabuli sensum exhibent, quo ab Augustino in specie ad eas res fuit translatum, quæ ad Sacramenta propiùs accedunt, *Chemnitio* multis ex Augustino testimoniis ostendente, longè plura fore, quam septem Sacramenta, si juxta vocis usum Augustino familiarem numerus esset ineundus. Hoc si observetur, facile licebit videre, Augustinum à *Chemnitio* non male illius significati authorem dici, quod eo in sensu neque apud alios Patres vetustos, neque apud Apostolum Paulum inveniatur. Sed juvat ipsum audire *Chemnitium*, qui prolissimè Augustini mentem in huius vocabuli

cabuli usu exposuit, ita de eo scribens: *Augustinus primus ferme cepit vocabulum Sacramenti in hac quidem materia extendere & latius usurpare, quam Antiquitas fecerat.* De Signis enim loquens, inquit: *Quæ cum ad res Divinas pertinent, Sacramenta adpellantur.* Et alibi: *Sacramentum sacrum est signum.* Et iterum alibi externum Sacramentorum usum describens ait: *In nullum nomen Religionis, seu verum, seu falsum coagulari homines possunt, nisi aliquo signaculorum vel Sacramentorum visibilibus consortio colligentur.* Ut igitur Augustino aliquid sit Sacramentum, satis est, si rei alicujus Divinæ vel sacræ sit signum; præsertim si in publicis Ecclesiæ conventibus, certis ritibus externis usurpetur, sive mandatum habeat à Christo in Novo, sive ex Veteri Testamento sit desumptum, ut Chrisma, vel à Viris Ecclesiasticis excogitatum, ut signatio Crucis. Nec refert Augustino, sive Gratia per illud signum detur, sive tantum significetur, ut in Matrimonio; item, sive sit Gratia reconciliationis, sive aliud aliquid donum Spiritus, ut in ordinatione. Hoc modo & hac ratione Augustinus aliis & pluribus etiam rebus tribuit adpellationem Sacramenti, quàm Antiquitas ante ipsum fecerat. Ita in ordinatione manere ordinationis Sacramentum dicit; & rationem adpellationis addit, alibi, de Baptismo & ordinatione loquens: *Vtrumque est Sacramentum, & quâdam consecratione homini datur illud, cum baptizatur; istud, cum ordinatur.* Et iterum alibi dicit, *Vnicuique in genere visibilibus signaculorum Sacro sanctum esse.* Et mox, quasi rationem reddens, addit, *visibile illud sanctum Sacramentum discernendum esse ab invisibili unctio Charitatis.* Ita etiam Matrimonium adpellat Sacramentum, & rationem explicat, scribens: *Sicut Sacramentum pluralium Vxorum illius temporis significavit multitudinem Deo subjectam in gentibus terrenis omnibus; sic Sacramentum Nuptiarum singularum nostri temporis significat, unitatem omnium nostrum subjectam Deo futuram in una celesti Civitate.* Hæc verò ratione propter significationem rei sacræ Augustinus plura numerat Sacramenta, quàm illa septem, pro quibus Pontificii dicant. Nam catechumenus ante Baptismum secundum quendam modum suum per signum Christi sanctificari dicit, sicut & Dionysius baptizandis Signum Crucis tribuit. Illud verò signum Crucis Augustinus inter Sacramenta numerat, alibi etiam scribens: *Multa Sacramenta aliter atque aliter accipimus; quædam ore accipimus, quædam per totum corpus, Crucem verò portamus in fronte.* Rationem verò, quare Sacramentum adpellatur, mox explicat, *Quia in fronte erubescimus, ipsam quodammodo ignominiam, & quam Pagani derident, in loco pudoris nostri constituit, ne de Cruce erubescamus.* Item, *Cruce illa signum est humilitatis, unde sanatur tumor anime.* Et iterum alibi: *In hac Cruce figura continetur Sacramentum.* Et explicat, quod in latitudine intelligatur dilectio proximi &c. Addit etiam, *Hoc Sacramento crucis sanctus Propheta Elisæus Sunamitidis filium, os ori, manus suas manibus ejus adplicans, orando suscitavit. Ejusdem virtute Sacramenti Moses in deserto bis petram virgâ percussit.* Videt Lector, quàm latè Augustinus utatur vocabulo Sacramenti. Nam & omnes ritus, qui præter baptismationem in actu Baptismi tunc temporis adhibebantur, vocat Sacramenta, scribens: *In Sacramentis, & in catechizando, & in exorcizando, prius adhibetur Ignis.* Et mox rationem addit: *Transiens per Ignem & Aquam educeris in refrigerium; quarum enim rerum signa sunt in Sacramentis, ipse res sunt in illa perfectione vitæ æternæ.* Manifestissimus verò est sequens locus: *Quod catechumeni accipiunt, quamvis non sit corpus Christi, sanctum est tamen & sanctius, quàm cibi, quibus alimur, quoniam est Sacramentum.* Intelligit autem exorcizari, hoc est, panem benedictum, quem vocant, Sanctæ Communionis vicarium, & illum expressè dicit esse Sacramentum, sed addit, *novitas, sicut Eucharistia, Sacramentum est.* Et hoc bene observet Lector. Alibi etiam omnia, quæ in Catechumenis ante Baptismum aguntur, vocat Sacramenta, & enumerat Exorcismos, Orationes, Cantica, insufflationes, cilicium, inclinationem cervicium, humilitatem pedum &c. Ita alibi iterum disputans de Baptismo, hoc est, de Sacramento Fidei & corporis Christi, exempla addit de die Dominico & die Paschæ, de quibus dicitur, *Hodie Dominus resurrexit, & explicat: Hos ipsos dies secundum illorum, quibus hæc sunt gesta, similitudinem nuncupamus, ut dicatur illo die fieri propter Sacramenti celebrationem, quod non illo die, sed jam olim est factum.* Post aliqua ex Bernhardo addit Chemnitius: Hæc recitavi, ut ostenderem, quale sit fundamentum, cui septenarius Sacramentorum numerus superstruitur, quod scilicet Augustinus, & alii quidam, pluribus rebus seu ritibus adpellationem Sacramenti tribuant, quàm Baptismo & Cænâ Dominicâ. Ostendimus enim, numerum Sacramentorum hoc modo longè ultra Septenarium pro-

progressurum, cum pluribus rebus seu titibus adpellationem Sacramenti tribuat Augustinus. Et diligenter est observandum, quod Augustinus, licet in usurpatione vocabuli hujus aliquantò sit liberalior, & quam plurimis accommodet rebus, quàm Veteres ante ipsum fecerant; ut tamen ostendat, reliqua ratione alià dici Sacramenta, quàm sicut Baptismus & Eucharistia, plerumque explicat, quâ ratione dicantur Sacramenta, sicut in adductis ostendimus Exemplis. Ita quando signum Crucis vocat Sacramentum, illustri differentiâ illud distinguit à sanctificatione, quæ fit in Baptismo. Et dignum est observatione, Augustinum ita numerare plura Sacramenta, ut tamen primo, illustri, præcipuo, peculiari & distincto loco ponat Baptismum & Eucharistiam, ut quando de Sacramentis Novi Testamenti loquitur: *Pauca pro multis, eaq; factu facillima, & intellectu augustissima, & observatione castissima, ipse Dominus & Apostolica tradidit Disciplina, sicut est Baptismi Sacramentum, & celebratio Corporis & Sanguinis Domini.* Et alibi: *Dominus noster Iesus Christus in Evangelio Sacramentis numero paucissimis, observatione facillimis, significatione præstantissimis societatem novi populi colligavit, sicut est Baptismus Trinitatis nomine consecratus, & Communicatio Corporis & Sanguinis ipsius, & si quid aliud in Scripturis Canonicis commendatur.* Hæc omnia ex Augustino solitâ & solerti diligentia collegit Chemnitius ad nominis Sacramenti ambiguitatem ostendendam, quæ falsitatis arguere, nescio, an quis post Bellarminum sit ausurus. Sed neque pugnantia sunt cum iis, quæ in antecedentibus scripsit, & ex Paulo, aliisque Ecclesiæ Doctoribus, de generali hujus vocabuli usu monuit: *Conjunctio viri & uxoris in Conjugio est Sacramentum conjunctionis Christi & Ecclesiæ, Eph. 5. Huic etiam est ad sine, quod de significatione parabolarum Christus inquit, Vobis datum est, nosse Mysteria Regni Cælorum, reliquis autem in Parabolis.* Hæc significatio propius quidem aliquantò ad propositam accedit questionem; sed hoc modo multo plura numeranda erunt Sacramenta, quàm septem. Omnes enim figuræ & allegorias, aliquid significantes, Sacramenta Patres vocant. Ita Tertullianus, vocat Sacramenta figurarum & allegorias Sacramentorum, ubi de duobus Abrahe filiis loquitur; & disputans de securi Prophetæ Elisei & de ligno Ade vocat Sacramentum ligni. Ita Augustinus texens Allegorias vocat Sacramentum panis, Sacramentum piscium, Sacramentum numeri &c. Nostra autem est questio, quo modo & quâ ratione vocabulum Sacramenti ad signa Gratiæ Novi Testamenti, qualiæ Baptismus & Cæna Domini sunt, extra omnem controversiam, translatum sit & accommodatum. Nulla in his verbis repugnantia vel ex opposito contrarietas, modò diversitatis ratio circa hujus vocabuli usum modo non uno ab Augustino & antecedentibus Ecclesiæ Doctoribus attenda, & à Chemnitio ostensa ritè observetur, adque statum Controversiæ ex debito adplicetur.

lib. III.
de Doctr.
Christ.
cap. 9.
Epist. 118.
ad Jan.

CAPVT DECIMVM ET TERTIVM,

DE

Definitione Sacramenti ex Augustino.

Chemnitius hic iterum vindicari debet à Bellarmini injuriâ, quâ ipsum adfecit, adculans, quod omnes à se laudatas Sacramenti definitiones, interque eas etiam Augustini, reprehenderit. Ad quod ante, quàm respondeatur, notari debet, Augustinum nullibi Sacramentum in eâ significatione, quâ hodiè sumitur, definivisse, sed ad quem modum vocabulo Sacramenti secundum ea, quæ à Chemnitio diligenter collecta sunt, significatione latissimâ usus est, ita etiam de Sacramenti definitione, quam non uno in loco exhibet, statui debet. Agnovit id ipse Bellarminus, dum definitionem Sacramenti, quod sit *signum Rei Sacre*, quam colligi dicit ex Augustino, scribente, *Sacrificium visibile invisibilis Sacrificii Sacramentum*, id est, *Sacrum signum est*, & quam apud Theologos communem esse dicit, inter imperfectas recensuit, hæc additâ ratione, *quod multo plura sint rerum sacrarum aut invisibilis Gratiæ signa, quàm Sacramenta*, in strictiori nimirum & propriâ magis significatione, subjungens, quod, *qui primus Sacramentum esse dixerit Sacre Rei signum, non tam accurate rem ipsam definire, quàm nominis interpretationem explicare videatur voluisse; nec rectè illos facere, qui pro hæc definitione defendendâ unum altercantur, præsertim cum ipse Augustinus de Sacramento loquatur tam amplâ significatione, ut etiam comprehendat Sacrificium.* Quorsum pertinet, quod de aliâ Sacramenti definitione non multum dissimili apud Gratianum extante, & Gregorio adscriptâ, quam verò Thomam Augustino adtribuere monet Bellarminus, ipse de suo addens, *nec hujus, nec*

lib. 70. de
Civ. Dei.
cap. 5.

Mm

illius

illius esse, sed Isidori Hispanensis, nisi forte Isidorus illam acceperit ex aliquo Gregorii vel Augustini libro nobis hodie incognito, decernit, eam ideò ab Isidoro adlatam non ad rem ipsam accuratè definiendam, sed ad explicandam nominis definitionem. Et hinc, ubi per aliquot Propositiones suam de Sacramenti definitione sententiam explicare laboravit Bellarminus, primà statim Propositione ita contra hanc Augustini definitionem scripsit: *Ad Rationem Sacramenti in genere non satis est, ut significet, sed requiritur etiam, ut efficiat Sanctitatem seu sanctificationem; Imò magis proprium est Sacramenti sanctificare, quam significare.* In cujus Propositionis per aliquot rationes confirmatione illud inter cetera addit, *ipsum Augustinum hanc Definitionem suam condemnare ideò, quandoquidem vellet eam convenire etiam Sacrificio.* Similem in modum recentior Interpres Thomæ, Morandus, Veronensis, Clericus Regularis, post ampliorem Definitionis Sacramenti per partes explicationem contra *Sanderum & Canum* monet, *excludi à ratione Sacramenti Sacrificium, quia Sacramentum etsi materialiter in re possit idem esse ac Sacrificium, primario tamen respectat suscipientes, Sacrificium verò ipsam Dei excellentiam.* Si autem Bellarmino & aliis Scriptoribus Papæis licitum fuit, definitionem Sacramenti Augustinianam utpotè imperfectam proferbere; cur *Chemnitio* calumnia à Bellarmino debuit impingi, quod & Ille eam inter eas retulit descriptiones, quæ non tam rei definitiones, quam explicationes vocabuli sint. Nullum verò esset debet dubium, id quod in gratiam Augustini meretur notari, quin, si illo jam tempore hæc de Sacramentis materia in genere ita fuisset enucleata, ut postremis hisce temporibus per importunitatem partis adversariæ factum est, Augustinus quoque perfectiorem Sacramenti definitionem dedisset, ea removens, quæ in numero Sacramentorum propriè dictorum Ipse non haberet, si Sententia hodiè esset dicenda vel scribenda. Quem verò ad modum *Chemnitius* hanc Sacramenti definitionem Augustinianam non ita reprehendit, ut omninò eam voluerit ablatam; Ita Confessio Augustana, imitari volens ex parte hanc Augustini definitionem, Sacramenta dixit *Signa & testimonia Voluntatis DEI erga nos*, causam Sacramentorum finalem indicans, cujus rei gratià idem Augustinus alibi Sacramenta notanter dixit *Apostolo duce visibilia Rerum Divinarum signacula.* Signa, inquam, sed non nuda vel rei alicujus absentis, verùm præsentis, utut invisibilis & sacramentaliter elemento visibili unitæ, Augustino iterùm id explicante, dum de Sacramentis per fluxum Aquæ & Sanguinis è latere Christi significatis scripsit, *Sacramenta sunt, in quibus, non, quid sint, sed quid ostendant, semper attenditur; quoniam Signa sunt rerum aliud existentia, & aliud significantia.* Id quod ad definitionis Augustinianæ explicationem satis est.

in II. & III
Thom.
pag. 340.

de catech.
rudib.
cap. 26.

lib. III.
contra
Maxim.
cap. 22.

CAPVT DECIMVM ET SEPTIMVM,

DE

Sacramentorum sine sigillari.

AD hunc finem demonstrandum quatuor argumentis militare Evangelicos ex Sacra Scripturâ desumptis, scribit Bellarminus, quibus addit ipse quintum, ad auctoritates Patrum provocans, qui Sacramenta vocare Sigilla seu Signacula leguntur, ad quæ omnia in specie studet respondere. Nunc tantum posteriora duo vindicias requirunt, utpote Augustini auctoritatem præ se ferentia, ne & hic non noster esse videatur. Ex iis primum est, quod Oraculum Petri exhibet, quo Baptismus dicitur esse *bonæ Conscientiæ interrogatio in Deum.* Bellarminus, ne alicujus pacti sigillaris rationem hic agnoscere cogatur, & fateri, Baptisum esse Promissionis Divinæ Sigillum, non in genere solum monet, esse locum obscurum, nihilque causam jurare Evangelicorum, sed in specie etiam post remotam *Oecumeni* de Baptismali pignore Expositionem, utpotè que non videatur ad mentem *Apostoli*, neque etiam saveat hereticis; item post valere justam Explicationem ordine secundam, quam *Lyrani, Gagnæi, & Johannis à Lovanio* vel *Hesseli*, Professoris ante hoc Seculum Lovanienfis esse dicit, intelligentem per interrogationem bonæ Conscientiæ interrogacionem & responsionem, qua fiunt ante Baptisum, de qua scribit, quod *eadem non saveat hereticis, nec videatur esse literalis, quia neque sit Ambrosii, Basilii & Augustini, ut putaverit Hesselius, sed falsò; remotis, inquam, hisce duabus Sententiis, ad aliam eamque tertiam provocat, quam se putare dicit esse Augustini & Basilii, ut videlicet exprimaturn à S. Petro mentis ablutio, que per antithesin opponatur ablutioni carnis, non per causam, sed effectum, usitatissimâ in Sacris metonymiâ.* Addit

1. Epist.

Addit Bellarminus de suo: *Vocat igitur ablutionem internam Petrus interrogationem seu responsionem bonæ Conscientiæ in DEUM, quia ex munditiâ illâ Pax oritur & quies Conscientiæ, ac proinde responsio bonæ Conscientiæ & interrogatio etiam apud DEUM, quia audet cum fiducia ad DEUM accedere & interrogare, id est, cum Eo colloqui, Eum rogare &c.* Verùm præter id, quod Bellarminus præter necessitatem multiplicat entia, tres exhibens hujus Oraculi Expositiones, quæ ad numerum reduci possunt binarium, secundâ & tertiâ non diversum, multò minus contrarium, sed subordinatum exhibentibus Sensum; *Hesseli* imprimis non parvam facit injuriam, Ejus explicationem non tantum crudè nimis exhibendo, cujus tamen Sententia eadem est cum eâ, quam Bellarminus tertio exposuit loco, ut mox erit manifestum; sed & Ei innocenter imputando, quasi præter Ambrosii & Basili, etiam Augustini super hoc Apostoli Oraculo mentem non candidè exposuisset. Utrumque docebit ipsa verborum *Hesseli* series, quibus in Commentario ad hanc Petri Epistolam ex Augustino usus est, prolixis quidem, sed notatu dignissimis: *Dupliciter hoc intelligitur, Occumenius enim inquit: Non operatur Baptisma ablutionem corporis sordium, sed per Symbolum demonstrat macularum animæ ablutionem. Est autem veluti etiam arrhabo quidam & pignus bonæ erga DEUM Conscientiæ. Qui enim benè sibi sunt conscii, hoc est, qui inculpatam amplectuntur vitam, & illam penitus exquirunt, ac veluti interrogant, (nam hoc comitari solet eos, qui aliquid quærunt, nempe interrogare:) hi etiam ad Sacrum Baptisma accurrunt. Intelligit is ergo, dicit interrogationem bonæ Conscientiæ, quod signum sit bonæ Conscientiæ quærentis Pietatem. Sed sanè plus hic intelligendum est. Nam Petrus dicit, quod Baptisma salvat; facit igitur bonam Conscientiam. Ergo videtur dici idem bonæ Conscientiæ interrogatio, quia facit, ut Conscientia sit bona; præteritâ enim remittit peccata, ut non debeat Conscientia propter illa metueri ac trepidare, & per Spiritum Sanctum renovat hominem, ut deinceps rectè vivat. Bona autem Conscientia interrogari audet & examinari in Iudicio & tribunali Dei, confidens, se haud damnatam iri. secundum hanc Expositionem Baptismus vocatur interrogatio bonæ Conscientiæ eo tropo, quo nomen effectus tribuitur causa efficienti. Ideo autem dicit Petrus, Baptismum non ablueri sordes carnis, quia per Christiana Sacramenta fideles non liberantur à miseriis & afflictionibus Seculi præsentis; magis enim propter Iudicium futurum fit Remissio Peccatorum. Aliter interpretatur Augustinus, ut videlicet illud, non depositio sordium carnis, sed Conscientiæ bonæ interrogatio in DEUM, sit correctio ejus, quod præcessit, Baptisma salvos fecit, quasi dicat Petrus: Quod dixi, Baptisma salvos facere, non ideò dixi, quasi externa lotio illa per se nos salvet, sed quia in Ceremoniis Baptismi, an credamus in Christum & abrenuntiemus Sathanæ & Pompis Ejus, interrogati, bonâ respondemus Conscientiâ, nos credere & abrenuntiare. Hoc est, Ablutio exterior salvat per Pœnitentiam & Fidem, sine his autem nihil operatur. *Vi verò melius intelligatur hic Petri locus, videatur Augustinus locis citatis, qui & alibi ait: Baptismus, qui semel adhibetur, per Fidem mundat; Fides intus est, non foris. Et iterum alibi dicit, Sacramenta sine internâ motione Fidei & Pœnitentiæ recepta esse familia præceptis & Exemplis, quæ sine Spiritu peiorem faciunt & occidunt. Quomodo autem Baptismus salvet per Fidem, explicatur in Symbolo circa hoc, Credo Remissionem Peccatorum. Et postquam ex Basilio similem huic Expositionem laudavit, ad Ambrosii quoque provocans consentum, hæc porro subjunxit Hesselius: Placet hæc Augustini & Basili Expositio præ alterâ, quia magis consona est antiquissimis Ecclesiæ ceremoniis, de quibus vide alibi Augustinum, item Cyrillum Alexandrinum. Aiecit autem hoc Petrus, non depositio sordium carnis &c. contra opinionem Iudæiam, quæ aliquis sanctus putatur per externas tantum ceremonias vel Sacramenta, quæ putatur aliquis placere Deo propter formam Pietatis, etsi virtutem Ejus abneget. Videatur Esthivius, qui in hujus Oraculi Expositione non multum dissimilitudinem ad Augustinum, ut & Hesselium hunc provocat, cum hoc modo ab accusatione Bellarminianâ liberans, ut ulteriori Apologiâ opus non habeat. Videamus alterum nunc argumentum, quod in ordine Bellarminianò quintum & ultimum est, quo Evangelicos purat, præter Scripturæ loca posse ad finem Sacramentorum sigillarem demonstrandum uti, desumptum ab autoritate Patrum, in specie Augustini, quem Sacramenta vocasse Sigilla seu Signacula, ad antecedens caput est ostensum. Respondet autem Bellarminus, longè alia significatione loqui Patres de signaculis Sacramentorum, quam heretici faciunt. Addit, Patres enim nunquam Sacramenta vocant signacula vel Sigilla promissionum Dei, ut heretici volunt, sed aliquo horum trium modorum loquuntur de Signaculis. Primò**

lib. 19.
contra
Fauft.
cap. 11.
de catech.
rudib.
cap. 26.

signacula vocant Sacramenta, quia obsignant fideles, & tanquam Notæ quadam eos separant ab iis, qui non sunt de grege vel exercitu Domini. Ita accipit hanc vocem post Basilium & Hieronymum Augustinus. Secundò, quia claudunt intra se Rem Sacram, id est, invisibilem Gratiam. Atque hæc significatione Augustinus alibi Sacramenta vocat signacula. Tertio, Baptismum in specie vocant Sigillum vel Ob signationem Fidei, quia Baptismus est publica adprobatio & testificatio fidei ejus, qui baptizatur. sic voce hæc utitur Tertullianus & Basilus. Subjungit porro Bellarminus, Denique potest etiam Baptismus vocari Sigillum Fidei, quia perficit & absolvit quodammodo hominem fidelem, quomodo Veteres mortem seu occisionem pro Christo vocabant Signaculum Martyrii, teste Eusebio. At meminisse debet Bellarminus, unius positionem non esse statim alterius remotionem, nisi contraria sint sibi invicem opposita. Hinc cometi pro, quo tribus modis Patres, & inter eos Augustinum, Sacramenta dicere Sigilla vel Signacula largitur Bellarminus, hunc etiam concedit modum, quem ponit intermedium, quo Sacramenta vocantur Augustino visibilia Rerum Divinarum signacula; quæ eadem mens & Sententia est Evangelicorum, cum Sacramenta dicunt promissionum & simul Beneficiorum DEI sigilla, qui modus cæteros non tollit aut excludit, sed potius includit, ut cuius rem hanc accuratè ponderanti manifestum est.

CAPVT VIGESIMVM,

DE

Verbo Sacramenti.

in Anti-
Hag.
Disp. IV.
Quæst.
6.

Tract. 80.
in Joh.

Agit quidem in hoc capite Bellarminus expressè contra Calvinum, in capite etiam antecedente monens, valde probabile esse, Lutheranos, qui præter Concionem adhibent verba Consecrationis in omnibus Sacramentis, non requirere Concionem ad essentiam, sed tantum ad fructum Sacramenti adsequendum, ac proinde cum eis nullam fore hinc loci alterationem; in proximè tamen sequentibus eos excipit, qui verba ipsa Sacramentalia non proferunt ad consecrandum, sed ad instruendum, & aperte Evangelii prædicationem vocant, Brentium ex Confessione VVurtembergensi nominetenus perstringens. Ut quæ Evangelicorum hæc de re sit Sententia, placeat exponere Lectori ante, quam Augustini de eâ testimonium ab adversariæ partis glosâ vindicare. Exhibet eam Hülsemannus noster verbis sequentibus: Verbum concionatorium non est id tantum, quod solum ad exhortandum aut increpandum de pulpito aut ambone declamatur, sed est unum verbum Verbum DEI $\eta\epsilon\sigma\phi\omicron\upsilon\kappa\omicron\varsigma$, aptum natum, ut in Concionibus & Officiis quibuscunque sacris adhibeatur, adeoque & verbum consecratorium suo ambitu comprehendit, quod est Verbum, habens annexam actionem quandam, institutione Christi mandatam, quæ tamen siue actio, seu actionis intentio non facit, ut hoc Verbum formaliter differat à verbo concionali; nec enim efficiente differt, nec materiâ, quæ est res ad salutem & informationem scibilis; nec formis, nec fine, nec objecto integro. Quamvis enim Consecrationis sit finis, rem ad peculiarem usum peculiari mandato DEI destinatam à vulgari usu segregare; simul tamen & hominis instructionem pro fine habet, ut doceat, hoc ita se habere, hanc rem huic usui destinatam esse. Præmissâ hunc in modum Sententiæ Evangelicorum explicatione, quæ præcipua est de verbis quibusdam Augustini hanc in rem laudari solitis, necessum est, ut ea hic legantur, ut nimirum eò felicius & facilius à Glosâ partis adversariæ possint vindicari. Ita autem Sanctus Pater: Vnde ista tanta virtus aqua, ut corpus tangat, & cor abluat, nisi faciente Verbo; non quia dicitur, sed quia creditur? Nam & in ipso Verbo aliud est sonus transiens, aliud virtus manens. Hoc est Verbum Fidei, quod prædicamus, ait Apostolus; quia si confessus fueris in ore tuo, quia DOMINVS est IESVS, & credideris in corde tuo, quia DEVS illum suscitavit à mortuis, salvus eris. Corde enim creditur ad Iustitiam, ore autem confessio fit ad salutem. Vnde in actibus Apostolorum legitur, Fide mundans corda eorum. Et in Epistolâ suâ B. Petrus sic & vos Baptisma salvos facit, non sordium carnis depositio, sed Conscientiæ bona interrogatio. Ne hoc Augustini testimonium Sententiæ Evangelicorum videatur quidquam conferre, multa Bellarminus prolixissimè conquirat, & eo quidem cum successu, ut pleraque cæteri Scriptores Papæi, hanc tractantes Controversiam, tantum non planè ad literam exscriperint. Juvat exemplum rei & fidelissimæ descriptio-

nis

nis documentum in Vasquezio videre, qui pari prolixitate cum Bellarmino & ex Bellarmino de his Augustini verbis agit, cujus responsum, etsi ferè ad nauseam usque prolixum, nequid ad rem pertinens detrahi videatur, huc ponere placet, brevi cum
 „ subnexâ ad rei veritatem animadversione: *Hunc locum Augustini intelligit Calvinus in III,
 „ (Brentium cum quibusdam aliis Evangelicorum addit Bellarminus:) de verbis Concionis, Part.
 „ quæ hæretici adhibent Sacramento. Attamen ex suâ ipsius doctrinâ facile potest Tom. II,
 „ revinci; nam Ipse ait, detracto illo verbo Concionis manere adhuc Baptismi Sa- Disp. 129.
 „ cramentum, siquidem Ipse non putat verbum tale esse de essentiâ Sacramenti. cap. 4.
 „ Et
 „ ideò Calvinistæ non rebaptizant eos, qui apud Catholicos sine Verbo Concionis
 „ baptizati sunt; & tamen de eodem verbo, de quo in prædicto locutus fuerat te-
 „ stimonio, ante dixerat idem Augustinus: *Detrahe verbum, quid est aqua, nisi aqua?
 „ Accedit verbum ad elementum, & fit Sacramentum.* Præterea convinci potest Cal-
 „ vinus ex verbis ipsius Augustini. Nam paulò post de eodem verbo Fidei, de quo
 „ fuerat locutus & dixerat, *Hoc est verbum Fidei, quod prædicamus,* subjungit, *Quo
 „ sine dubio, ut mundare possit, consecratur & Baptismus.* Atqui Baptismus non con-
 „ secratur, etiam ex Sententiâ Calvinii, verbis Concionis, sed verbis illis, *Ego te
 „ baptizo in nomine Patris &c.* id quod alibi expressè docuit Augustinus his verbis: lib. III, de
 „ *Quamobrem si Evangelicis verbis, in nomine Patris, Filii & Spiritus Sancti, Marcion Bapt. c.
 „ Baptismum conferebat, integrum erat sacramentum.* Denique de eodem verbo, de Donat.
 „ quo loquitur Augustinus in illo testimonio, statim inquit: *Hoc verbum Fidei tan- cap. 15.
 „ tum valet in Ecclesiâ, ut per ipsam (alii legunt, per ipsum, scilicet verbum) credentem,
 „ offerentem, benedicentem, tingentem etiam tantillum mundet infantem, quamvis non-
 „ dum valentem corde credere ad iustitiam.* Atqui verbum Concionis eatenus solum
 „ mundare potest ex Sententiâ Calvinii, quatenus creditur; credi autem non pot-
 „ est ab Infante. Ergò Augustinus non loquitur de verbo Concionis, quod hære-
 „ tici contendunt adhibendum esse Sacramento. Ex Catholicis verò nonnulli hu-
 „ jus ætatis Theologi existimant, Augustinum non de verbo Concionis, nec de
 „ verbo Consecrationis, hoc est, de illâ Baptismi formâ, sed de verbo Institutionis
 „ ipsius Sacramenti esse locutum, de quo, inquit, rectè dicitur tribuisse vim aquæ,
 „ & ipsam consecrasse, ut etiam mundaret infantem. Hæc tamen Expositio ex ver-
 „ bis ipsius Augustini manifestè potest refelli. Nam de verbo, de quo Ipse in præ-
 „ dicto loquitur testimonio, & de quo dixit, dedisse virtutem aquæ, *ut corpus tan-
 „ gat, & cor abluat,* subjungit, *Non quia dicitur, sed quia creditur.* Verba autem In-
 „ stitutionis non ideò vim habent consecrandi Sacramentum, quia creduntur, sed
 „ quia à Christo dicta fuerunt; Institutio enim ipsa & consecratio Sacramenti non
 „ pendet ex nostrâ fide, *licet fructus Sacramenti pendeat,* sed ex verbo ipsius CHRI- NB.
 „ STI instituentis. Præterea Augustinus loquitur de verbo, quod cum accedit
 „ ad elementum, efficit Sacramentum; & tamen verbum Institutionis non est,
 „ quod dicitur accedere ad elementum & efficere Sacramentum, sed verbum, quod
 „ ponitur pro formâ ipsius Sacramenti, ut constat. Alii etiam recentiores Theo-
 „ logi censent, Augustinum loqui nunc de Verbo concionis, nunc autem de verbo
 „ Sacramentali, quod verbum Consecrationis adpellamus. Primò quidem, I-
 „ psium loqui de verbo Sacramentali & consecratorio, colligunt ex eo, quod loqui-
 „ tur de verbo, quod accedens ad elementum facit Sacramentum. Loqui au-
 „ tem de verbo Concionis colligunt ex eo, quod citat illud Pauli, *Hoc est Verbum Fi- Rom. 10.
 „ dei, quod prædicamus vobis,* & hujusmodi alia, quæ quidem de verbo Concionis
 „ sunt intelligenda, quale etiam est illud, quod paulò ante adlegaverat, *jam vos Joh. 15.
 „ mundi estis propter sermonem, quem locutus sum vobis.* Constat autem, tunc A-
 „ postolos non fuisse mandatos propter Verbum Sacramentale & Consecrationis,
 „ sed propter verbum Concionis & exhortationis, quod à CHRISTO audiver-
 „ rant. Sententia hæc vera quidem est, si intelligatur non de verbo Concionis,
 „ quod adhibetur in Baptismo & aliis Sacramentis, sed de verbo Concionis in uni-
 „ versum. Neque enim ibi Augustinus ex instituto agit de Verbo Sacramentali,
 „ sed de verbo Concionis in universum, & de virtute illius per Fidem ad animam e-
 „ mundandam. Cœpit verò occasionem ex illâ Domini Sententiâ, *jam vos mun-
 „ di estis &c.* ubi ostendit CHRISTUS discipulis, ipsos fuisse emundatos à peccatis,
 „ non lotionem pedum, sed sermone ipsius per Fidem. Ut autem ostendat effica-
 „ ciam*

„ciam Verbi exhortationis & prædicationis per Fidem, adfert statim Exemplum ver-
 „bi Consecrationis, quod adhibetur elemento & efficit Sacramentum, ut osten-
 „dat, omnem emundationem à Verbo per Fidem proficisci, & ita adfert illud Pau-
 „li, *Hoc est Verbum Fidei, quod prædicamus* &c. Ipsam igitur efficaciam Verbi Con-
 „secrationis refert ad Fidem, quæ ex illo gignitur. Similiter de Verbo Consecratio-
 „nis, quod adfert in exemplum suæ Doctrinæ, inquit, *Vade est ista tanta virtus* &c.
 „quasi eandem vim tribuens verbo Sacramentali, ut per Fidem dicatur efficacitatem
 „tribuere elemento ad emundandum; & ita exemplo verbi Sacramentalis & Con-
 „secrationis confirmet id, quod dixerat de Verbo Concionis & prædicationis, de
 „quo ex instituto disputabat. Quod verò adfert de verbo Sacramentali, *Non quia*
 „*dicitur, sed quia creditur*, difficile videtur ad intelligendum. Nam efficacitas
 „verbi Consecrationis non provenit à fide ministrantis aut accipientis, licet ex parte
 „recipientis adulti requiratur, ut dispositio, non ad ipsam Sacramenti virtutem, hanc e-
 „nim ex solâ Institutione habet, sed ut habeat effectum. Quocirca in parvulis, qui
 „credere non possunt, Baptismus effectum habet & sine Fide ministrantis, & sine
 „Fide Recipientis; eâ certè de causâ, quia efficacitas illius est à DEO instituentis,
 „non autem à Fide. Quare eorum Sententia non placet, qui adserunt, idèò di-
 „xisse Augustinum de verbo Sacramentali, *Non quia dicitur, sed quia creditur*, quia
 „ad ejus efficacitatem Fides sit necessaria; & ex dictis confutatur. Dicendum
 „igitur est, cum Augustinus ait, *Non quia dicitur, sed quia creditur*, verbum cre-
 „ditur non denotare actum credendi id, quod verbo significatur, sed Mysterium
 „ipsum, quod est Fidei objectum, ut credatur, ut sensus sit, *Verbum, quod acci-
 „dit ad elementum, ut fiat Sacramentum*, non tribuit elemento eam efficacitatem &
 „virtutem emundandi, quatenus dicitur, hoc est, quatenus est sonus quidam ma-
 „terialis & transiens, sed quatenus in se continet mysterium Fidei nostræ ad creden-
 „dum. Hic autem sensus patet ex eo, quod in eodem Tractatu de verbo Con-
 „secrationis, quod additur elemento, inquit idem Augustinus: *Hoc verbum Fi-
 „dei tantum valet in Ecclesiâ* &c. ubi concedit Augustinus, verbum Fidei tantum
 „valere in Ecclesiâ, ut mundet infantem ante, quam credat. Id autem verum
 „est, etiam si Baptismus ei adhibeatur ab infideli. Tunc autem verbum Fidei non
 „potest mundare per actum Fidei, sed ratione Mysterii, quod significat. Hoc
 „autem vocat Augustinus fidem, eò, quod sit objectum Fidei, quod proponitur ad
 „credendum, & in Baptismo profitemur. Verbum igitur Sacramentale ex Au-
 „gustini Sententiâ idèò emundat, quia est Verbum fidei, sicut etiam verbum Con-
 „secrationis, hoc est, quia continet & denotat Mysterium Fidei ad credendum, non
 „quia est vox quædam & sonus materialis; ut ita probet, omnem emundationem
 „fieri per Verbum Fidei, sive extra Sacramentum, sive in Sacramento, quamvis non
 „eodem modo. Nam extra Sacramentum emundat verbum Fidei gignendo in
 „aliis fidem, quâ voluntas ad DEUM convertitur; sive in Baptismo, in nobis
 „efficiendo Sanctitatem, non ratione soni, sed ratione Mysterii Fidei, quod sonus
 „significat, & ita sive hoc Idiomate, sive illo proferatur, eodem modo sanctificat.
 „Quocirca non mirum, si Augustinus in tractatu illo citet quædam testimonia Scri-
 „pturæ pro verbo Fidei, quod est verbum Concionis, quale est illud Pauli, *Hoc est*
 „*verbum Fidei, quod prædicamus* &c. quædam verò alia pro verbo Consecrationis Sa-
 „cramentalis, quale est illud Petri, *Quod & vos nunc salvos facit* &c. Hæc omnia
 „post Bellarminum prolixissimè Vasquez, suum Antecessorem in plerisque sequens,
 „in aliquibus explicans, & paucis hypotheseibus exceptis, quas omninò occultare non
 „potuit, ita Augustinum illustrans, ut Evangelici Doctores non adeò multum possint
 „desiderare, quidquid sit de Sententiâ Calvinii, cujus partes hic non aguntur. Pau-
 „cis, cum Augustinus accedere dicit Verbum ad elementum, ut fiat Sacramen-
 „tum, ex Evangelicorum, imò Augustini ipsius Sententiâ intelligitur Verbum In-
 „stitutionis sive mandati, non generalis, sed specialis, ad certam ac Sacramenta-
 „lem solennitatem restricti, quod in se continet Verbum *promissionis* Evangelicæ
 „de Gratiâ DEI & remissione peccatorum, ritui Sacramentali annexæ; simul
 „verò etiam complectitur Verbum *invocationis & gratiarum actionis*, quo & Di-
 „vina antecederet Gratia rogatur, & consequenter pro acceptâ gratiâ habentur
 „actus, cum sicut præcatione omnes aliæ actiones, ita vel maxime hic etiam
 „actus

vid. D.
 Dannh.
 Mysterior.
 p. 138.

actus sanctificetur. Accedit quoque Verbum *adplicationis & determinationis* ad hunc vel illum, qui hujus vel illius Sacramenti particeps fieri desiderat. Omnia autem hæc Verba, in se unius tantum Verbi rationem habentia, dum non sine Sensu fideque in silentio demurmuranda, sed publicè recitanda & spectatoribus, præsertim ipsis communicantibus explicanda sunt, *Concionatoria* dici possunt, non in oppositione Verbi consecratorii, quasi hoc ab illis specificè sit divertum, cum consecratio verbalis sit pars quadam Concionis, nullo causarum genere distincta, nec majorem illud verbum consecrationis, quasi practicum, præ verbo Concionis quasi speculativo, juxta Philosophiam Bellarmini habeat efficaciam; sed in oppositione taciti murmuris, quod in Sacramentali actu nullum habere locum aliàs docetur. Et horum respicere Augustum Doctorem, dum non semel ad Apostoli Oraculum provocat scribentis: *Hoc est Verbum Fidei, quod PRÆDICAMUS &c.* debet esse indubium. Inde Bellarminus ipse suum inter eos Doctores professus est nomen, quos recentiores Theologos dixit *Vasquezius*, quorum Sententia fuit, Sanctum Patrem *nunc de Sacramentali, nunc de Concionalis verbo* loqui; qui si illud tantum observassent, non diversa hæc Verba esse, sed unum idemque Verbum, diverfo tantum respectu consideratum, facile mentem Augustini percepissent. *Vasquezius* etiam qui omnibus aliis perspicacior & subtilior videri voluit, hanc Bellarmini & recentiorum, quos laudavit, Theologorum Sententiam dixit quidem esse veram, sed eâ solum ratione, *si intelligatur de verbo Concionis in universum, non de illo verbo Concionis in specie, quod in Baptismo & aliis adhibetur Sacramentis.* Sed non adeò subtilis est hæc distinctio, ut, quæ in modo saltem proponendi aliquatenus differunt, pro diversis rebus in se habeantur. Sive enim Verbum in Concione & pro suggestu, sive in administratione hujus vel illius Sacramenti adhibeatur, idem est & manet Verbum DEI, suam habens ab Authore efficaciam. Quamvis etiam Augustinus eo in loco, unde testimonium, de quo hætenus, desumptum est, ex instituto & professo non agat de *Verbo Sacramentali in specie*, id est, de Verbo DEI, quatenus suam in administratione Sacramentorum exerit efficaciam, sed de *Verbo Concionis*, in universum, & de virtute illius per Fidem suscepti ad animam emundandam; egregiè tamen Augustinus per adductionem Exempli de Verbo in Sacramento Baptismi ostendit identitatem utriusque Verbi, & simul etiam Virtutis ab utroque, quod in se, ut dixi, unum est idemque, provenientis; de eodem Verbo, quod Concionis in specie dicitur, monens, *quod si accedat ad elementum, fieri Sacramentum*, Apostolo duce & præunte, notanter ad præsentis Instituti rationem, contra quævis inaniter distinguentium subterfugia testatur, *Hoc ipsum esse Verbum Fidei, quod PRÆDICAMUS &c.* & quod subintellectum voluit, quo interveniente & regeneramur & in Sacramento Eucharistiæ Christo hospite spiritualiter reficimur, Verbo hoc ad cæteras etiam actiones sacras ex Instituto Authonis efficaciter concurrente. Et hætenus de celebri Illo interque partes vexatissimo Augustini loco, breviter studio aliis prætermittis, quæ circa divertum ejus Sentum porro solent urgeri; extra dubitationis aleam posito, quod contra Bellarminum, & Vasquezium ad verum ejus intellectum ex ipso verborum contextu fuit observatum, unde Evangelicorum Sententia sine ullâ hæsitacione potest sufficienter percipi & percipi.

NB.

vid. D. Walth. Misc. Theol. num. 5. p. 96. seq.

CAPVT VIGESIMVM & PRIMVM,

DE

Rerum & Verborum Sacramentalium immutabilitate.

SI in hoc capite Bellarminus & suam candidè exhiberet Sententiam, & de Evangelicorum mente non iniquius statueret, nihil haberemus, quod circa præscriptum Lemma jure posset desiderari, nobis in eo omnimodè contententibus. At quia non solum quoad propriam, quam exhibet sententiam, rubrum cum nigro non convenit, sed & in super Evangelicis Doctoribus, *Luthero* nominatim, & *Brentio*, peregrinam & omnino alienam adtingit mentem, quin illud Lectori ostendatur, prætermitti neque potest, neque debet, præsertim, quia & hic autoritas Augustini intercedit, quam Bellarminus Evangelicis opposuit, scribentis: *Certa sunt verba Evangelica, sine quibus non*

lib. 6. contra Donat. cap. 25.

potest

M m 4

potest consecrari Baptismus. Quia ad hunc locum ex Juris Canonici Glosâ aliquid observandum erit, integer Textus huc adscribatur necessum est, qui ita habet: Si non sanctificatur aqua, cum aliqua erroris verba per imperitiam precatorem effundit, multi non solum mali, sed etiam boni fratres in ipsâ Ecclesiâ non sanctificant aquam. Multorum preces enim emendantur quotidie, si doctioribus fuerint recitata, & multa in eis reperiuntur contra Catholicam fidem. Numquid si manifestetur, aliquos baptizatos, cum illa preces dicta super aquam fuissent, jubebuntur denuo baptizari? Quid ita? quia plerumque preces vitium superat precantis adfectus, & quia certa illa Evangelica verba, sine quibus non potest Baptismus consecrari, tantum valent, ut per illa sic evacuentur, quacunque vitiosa in prece contra Fidei regulam dicuntur. Glossa Juris Canonici ad hæc & sequentia Augustini verba à Gratiano laudata notat: Ex hoc capitulo colligitur, quod non vitiat forma Baptismi, si quid in eâ adponatur superfluum, quod admittunt quidam; ut si dicatur, Baptizo te in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, & Diaboli, (horrendum!) vel, Arma virumque cano, vel quidquid sequatur, baptizatus est. Idem est, si quid præmittatur ante formam, ut si dicatur, Arma virumque cano, Ego baptizo te in nomine Patris & c. Si verò aliquid interponatur, ut si dicatur, Baptizo te, & Deus est, in nomine & c. non est Baptizatus. Plura ibi pro explicatione horum extant, prolixè non exscribenda. Et quia Bellarminus hoc Augustini testimonio lectorem in Jus Canonicum deduxit, lubet ex eadem distinctione, quæ id nobis cum Glosâ exhibuit, aliud in rem præsentem adducere, Definitionem videlicet Nicolai Pontificis ad Consulta Bulgarorum exhibens, his verbis: Aquodam Iudæo, nescitis, utrum Christiano, an pagano, multos in Patriâ vestrà baptizatos adscribitis, & quid de iis sit agendum, consulitis. Hi profectò si in nomine Sanctæ Trinitatis, vel tantum in Christi nomine, sicut in actibus Apostolorum legimus, baptizati sunt, unum quippè idemque est, ut Sanctus exponit Ambrosius, constat, eos non esse denuo baptizandos. Ultimis hæc verbis aliqua quidem interferuntur in corpore Glossato proxime citato, sub antecedentis Seculi initium, Anno nimirum quarto, Venetiis per Baptistam de Toris edito, quæ tamen Sensum eatenus non turbant, ut non Decreti finis sit, tales rebaptizari non debere, etiamsi in nomine Christi tantum fuerint baptizati. Glossator Definitionis Pontificiæ rationem dat vel dari jubet sequentem: Tu dic, quod in nomine Trinitatis non intelligitur, nisi trium personarum essentia unitas; & in nomine Christi intelligitur unctus, ungens, & (à) quo ungitur. Dixit ergo Canon, concessum fuisse Apostolis, baptizare in nomine Christi, propter nomen Christi ampliandum. Et post aliqua: Dico, quod si dicitur quis baptizari in nomine Christi, si tamen baptizatur, valet Baptismus. Ad ipsa hujus Decreti Verba, eorumque apud Interpretes Papæos valorem & sensum, in Vindiciis Evangelicis Thomisticis aliqua ex Tannero fuere observata, sed quia id eo non factum est loco, ubi Lector Veritatis cognoscendæ cupidus inquit, re hæc ex occasione tantum & incidenter tractatâ; idè placet hic in propriâ sede illud aliquantò amplius repetere, ut manifestum fiat, non causam habuisse Bellarminum, accusandi Lutherum & Brentium ob mutationem verborum in administratione Baptismi, eisque Augustini auctoritatem opponendi, nullo planè modo opponendam. Ita autem Tannerus: Ad referendum Nicolai sanè difficilis est responsio. Etenim primò Thomas pariter docet, talem Baptismum Divinâ dispensatione ratum fuisse. Addit Marsilius, Nicolaum habuisse singularem hujus Dispensationis revelationem. Sed licet horum Doctorum in Apostolicam Sedem observantia meritò sit laudanda, responsio tamen ipsa sanè est improbabilis, tum quia nec Apostolis concessa fuit talis dispensatio, tum quia saltè tam diu non durasset, obtingentis videlicet post Christum annis, alioqui enim pari ratione etiam nunc durare dici posset; tum quia Pontifex dictum suum fundat in testimonio Ambrosii, qui suam Sententiam minimè fundavit in dispensatione, ut pluribus ostendit Svarez. Secundo alii respondent, Pontificem loqui in casu necessitatis. Sed nec verum est, quod ea responsio supponit. Quæ enim potuisset esse necessitas, Christi Invocationem admittens, Trinitatis exclusionis forma absque Sacramenti jactura posset immutari. Tertio alii dicunt, Pontificem duntaxat negare, iterandum absolute Baptismum, non tamen, quin sub conditione sit iterandum. Ita præter alios Henriquez. Sed sanè tunc non oportebat absolute negare, eos denuo esse baptizandos. Quarto respondent alii, particulam exclusivam tantum in casu, de quo Pontifex loquitur, non alias excludere personas, sed solum expressam Filii mentionem, substituto ejus loco Christi nomi-

NB.

c. Si non.
4. de Consecr.Theol.
Scholast.
Tom. 4.
P. 668.

nomine, ita ut dicatur in nomine Patris, & Christi, & Spiritus Sancti. Quæ responsio etiam adplicari potest ad testimonium Ambrosii, ut *Henriquez* quoque tradit. Atqui hæc responsio pia est & probabilis, inquit *Svarex*, non nihil tamen videtur coacta. Adde, quod Pontifex sub disjunctione loquatur de Baptismo in nomine SS. Trinitatis, vel tantum in nomine Christi collato. Quid quod etiam Baptismus ita collatus, nihilo minus saltem dubius foret. Quinto igitur *Canus* & alii quidam simpliciter respondent, Pontificem circa hoc nihil definitivè, sed ut privatum Doctorem secutum fuisse fallam sententiam. Quæ responsio potest in rigore sustineri, inquit *Svarex*. Sed addendum est, Pontificem hæc de re non interrogatum, sed de aliâ, nempe, an Baptismus à Judæo vel Pagano collatus esset validus? Hoc ergo ex Instituto definiens, Pontifex simul obiter & ex accidenti addidit, validum fuisse Baptismum, etiam si in solius Christi nomine esset collatus. Atque ita respondent *Bellarminus*, *Vasquez*, *Henriquez*, qui complures citat; nec Ego aliquid melius invenio. Non enim est necesse, ut quidquid Pontifex obiter inserit alicui Decreto, *vin. habeat definitionis*. Ego ad hæc aliud nihil observo, quam quod ad Institutum præsens pertinet. Nimirum si Pontifex *Nicolaus*, sive quæ Pontifex, sive quæ Doctor privatus, (quia etiam tanquam Doctor privatus non debuit veram Ecclesiæ Sententiam ignorare, aut de hæc questione consultus fallam alii proponere.) Baptismum à Judæo, vel Christiano, vel pagano administratum judicavit esse validum, si in nomine Trinitatis, vel tantum in nomine Christi baptizaverint; (quæ posteriora verba ad substantiam Definitionis Papæ, & non ad accidentia pertinere, particula conditionalis *si* indicat, & tam de formâ verborum in nomine CHRISTI tantum, quam de formâ verborum in nomine Trinitatis intelligi debet; ut non dicam, Definitiones Papæ, qualis hæc fuit, ita merito comparatas esse debere, ut neque iniis, quæ obiter tantum & ex accidenti videntur inseri, aliquid falsi contineatur.) Si inquam, Pontifex, & quidem, ut ex omnibus patet circumstantiis, tanquam Pontifex, summus Ecclesiæ in terrâ Pastor, Doctorque publicus Baptismi administrationem à Judæo etiam & Pagano factam adprobavit, validamque censuit esse, si vel in nomine Trinitatis, vel in nomine Christi tantum baptizaverit. Si porro, quod insuper addo, *Cajetanus*, at, quantus Vir, quanti apud suos, præsertim Dominici Ordinis Professores ælimii, in suis ad *Thomæ* summam Commentariis expressè scripsit & docuit, *Baptismum in nomine Christi tantum, non expressis personis Trinitatis collatum esse validum*, ut ut non desint alii, qui hanc Ejus Sententiam deserant & reprobent, Ordinis Cyriacorum in pluribus aliis impugnatores hodie vehementissimi, & non semel iusto rigidiores; Si, inquam iterum iterumque; Pontifex summus si Cardinalis, ad *Lutherum* ab erroribus, si quos habuit, revocandum Romam missus, si Glossator etiam Juris Canonici, non infami certè subfellii Scriptor, de verbali formâ Baptismi non uniformiter statuerunt, varietatem ejus permittentes, (quo jure, jam non decerno) & quidem ante *Lutherum*; quâ fronte potuit *Luthero* tanquam hereticorum omnium audacissimo *Bellarminus* adscribere, quod novam suo tempore excogitaverit hæresin, docens, non requiri certam sacramentis verba. Iniquitas accusationis manifestior erit, si verba *Lutheri* textu plenior, quam *Bellarminus* adduxit, hic excusabimus. Agens enim *Megalander*, & verè *Thavmander* in de *Captivitate Babylonica* Scripto, quod tertio post cœptum Dei Gratia Reformationis omnino necessariæ opus Anno edidit, de Ministro & formâ Baptismi suam hoc modo exposuit Sententiam: Non dicit, Ego te baptizo in nomine meo, q. d. Id, quod facio, non meâ auctoritate, sed vice & nomine DEI facio, ut non aliter habeas, quam si ipse Dominus visibiliter fecisset. Author & minister diversi sunt, sed opus idem utriusque, imò solius Authoris per meum Ministerium. Hanc Sententiam Ego libentissimè sequor, quod sit plenissimum solatii & efficax Fidei adiutorium, nosse, se esse baptizatum non ab homine, sed ab ipsâ Trinitate per hominem, qui nomine Ejus rem gerit apud nos. Quo cessat illa contentio otiosa, quâ de Baptismi formâ, quam ipsa adpellant verba, litigant, Græcis dicentibus, Baptizetur tervus Christiis Latinis, Ego te baptizo. Item alii rigidissimè nugantes damnant, sic dicit, Ego te baptizo in nomine JESU Christi, quo ritu certum est Apostolos baptizasse, ut in actis Apostolorum legimus, voluntque nullam deinceps aliam valere, quam istam, Ego te baptizo in nomine Patris &c. Sed frustra contendunt, nihil enim probant, sua duntaxat adferunt somnia. Quocunque enim modo tradatur Baptismus, modo non in nomine hominis, sed in nomine Domini tradatur, verè salvum facit. Imò non dubitem, si quis in nomine Domini suscipiat, etiamsi impius Minister non det in nomine Domini, verè baptizatum esse in nomine Domini; non enim in conferentis tantum, quantum in suscipientis fide vel usu

vid. D.
Dorsch.
Pentad.
Diip. 4. §.
43. seqq.

vid. Gvi.
men. O.
puse. Mo.
ral pag. m.
363.
conf. An.
dr. de Men.
do in sta.
terâ opin.
p. 220.
§. 23.

Tom. II.
Jen. Lat.
p. 272.

stra

Sita est virtus Baptismi. Perpendat hæc Lutheri verba Lector veritatis amans, cuiunque etiam parti sit addictus, & iudicet, annon per insignem calumniam Bellarminus hanc ex eis consequentiam expresserit: *Itaque si quis dicat, Ego te baptizo in nomine Lutheri & Catharinæ uxoris ejus, vel etiam in nomine Diaboli; verus erit Baptismus, modo qui suscipit, in nomine Domini accipiat.* Increpet te DEUS! Videat etiam, quicunque potis est judicare, an, quæcunque hic de Ministro & de formâ Baptismi scripsit Lutherus, novam contineant hæresin, primum à Luthero excogitatum, cum imprimis ea, quæ formam verborum attinent, in terminis ante *Lutherum* docuerint Papa Nicolaus, Glossator Juris Canonici, Cardinalis *Cajetanus*; & quam inconsequenter per gravem injuriam, Luthero imposuit Baptismi formam in nomine Diaboli exprimentem, *horrendum!* dictus Juris Canonici Glossator itidem in terminis exhibuerit, nec Baptismi actum hæc verborum formâ invaliditatis accusarit, sed ratum haberi voluerit. Posito autem, *Lutherum* in his verbis, præsertim quoad formam baptizandi in actibus Apostolorum ex Eius sententiâ commendatam, rem non acu tetigisse, hocque ductum Exemplo sufficientem Baptismi formam in nomine Christi habuisse, quo tamen ipso, ut jam monui, Antecessores habuit Pontificem *Nicolaum*, Glossatorem Juris Canonici, & *Cajetanus*, à quo singulari studio ad revocandum errores, quos ipsi ex Sacris Literis ostendere non potuit, fuit invitatus & tantum non vi adactus; agnoscere nihilominus debuit ipse Bellarminus, *Lutherum* hunc, si quis fuit, errorem retractasse, & de formâ verborum Baptismi ita docuisse, ad quem modum docuit Augustinus, quem priori Eius sententiâ opposuit. Nec est, ut quis indè *Lutherum* fuisse in doctrinâ inconstantem, inque horas, dies & annos mutabilem arguat. Si enim post hæc aliam & contrariam, vel priorem amplexus fuisset sententiam, aliquem hæc de inconstantia & mutabilitate Eius accusatio haberet locum. Dum autem posteriori sententiâ, quæ & Augustini est, de servandâ verborum Baptismi formâ constantem & immutabilem inhæsit, nec unquam ab eadem recessit, vana est & inanis hæc accusatio, nisi ejus etiam particeps sit ipse Augustinus, quem non unam in aliis *Questionibus* retractasse Sententiam, mentemque cum tempore, utpotè scribendo proficientem, in melius mutasse, notius est inter Eruditos, quam ut prolixè indicari opus sit. Et si ad exemplum & imitationem Augustini, etiam *Thome Aquinatis*, Angelico, ut vulgè audit, Doctori, quod in *Vindictis Evangelico-Thomisticis* monui; si item ipsi Bellarmino, sine labe inconstantia & mutabilitatis, retractationum & recognitionum libros licuit scribere, suaque, quæ olim scripserunt, posteris temporibus meliora doctis emendare, ne pertinaciter alicui inhærere videantur errori; cur non & licitum fuisset Luthero, è tenebris errorum nuper Dei gratiâ ad Evangelicam Lucem emergenti, id, quod è Scholasticorum Theologiâ minus accuratâ prioribus adhuc Annis adhæsit, posterioribus abstergere, inque melius Scripturâ & Antiquitate orthodoxâ duce inque gratiam Veritatis mutare?

CAPVT VIGESIMVM & SEC VNDUM,

DE

Necessitate Sacramentorum.

Quas de eâ formavit propositiones Bellarminus, ad examen jam non vocantur, dum circa earum explicationem nulla intercedit auctoritas Augustini. Quia verò hic etiam *Chemitio* in Examine Canonis Tridentini de Sacramentorum necessitate calumniam adscribit, & in specie quidem quoad ea Decreti verba, quibus vel ipsa Sacramenta dicuntur necessaria, aut *vota eorum*, quam additionem *Chemitio* inter Patrum Tridentinorum insidias recenser, quas in hujus Decreti formatione ad Lectorem fallendum occultaverint, hæcque *Vota* ad eorum mentem esse dicit *pollicitationes certorum operum ad accipiendam Iustificacionis gratiam*; atque Bellarminus miratur *Chemitii impudentiam & imperitiam*, utpotè vel de industria cavillari volentis, vel ignorantis, *votum in Concilii verbis non pollicitationem sed desiderium significare & voluntatem*, Augustino contra Donatistas docente, *sine Baptismo latronem esse salvatum, quia non ejus accipiendi voluntas defuit, sed quia non accipiendi necessitas adfuit.* Sed dicat, qui Bellarmini vindicias est suscepturus, quia conditores Canonum Tridentinorum singula in eis verba ponderantes nihil frustra posuisse videri voluerunt, quod

lib. 4. de
Bapt. c.
Donat.
cap. 23.

quod non contra eos inferire posset hæreticos, quos, etsi non auditos, anathematismis tamen configere laborarunt, an id, quod de Voto Canonici inferuerunt, Evangelicorum doctrinæ putet oppositum? Atqui eos in calu necessitatis, præsertim in adultis, Votum sive desiderium Baptismi requirere, alio tamen respectu, quàm à parte adversariâ solet fieri, *Chemnitius* ibidem loci, unde Bellarminus calumniam se cruere posse existimavit, verbis docuit sequentibus: *Qui verbum DEI non habet, is, quia non potest Fidem concipere, non potest salvari; qui verò ex auditu Verbi veram & justificantem habet Fidem, is, licet fide acceperit reconciliationem, Sacramentorum tamen usum nullo contemnet modo. Aut si contemnit, Fides non est vera; non enim retinet essentialem suam proprietatem, que consistit in mutuâ relatione Verbi & Fidei, ut scilicet Fides verbum promissionis, ubicunque DEUS suâ institutione illud proponit, quarat & adprehendat. Sed si quis ex auditu Verbi veram habeat Fidem in Christum, & non concedatur ipsi facultas, ut possit Sacramentis juxta Institutionem Divinam uti, in tali certè casu non est statuenda necessitas Sacramentorum ad salutem præcisâ, ut propterea salus denegetur illis, quibus non datur facultas utendi Sacramentis, licet Fide in verbo adprehendant Christum mediatorem. Latroni enim in Cruce Christum in verbo promissionis Fide adprehendenti certò promittitur Paradisus, licet ipsi non daretur facultas, ut posset accipere Baptismum. Ita qui in Deserto nativuerant per Annos quadraginta, non sunt circumcisi propter continuas peregrinationis jactationes, quæ facultatem Circumcisionis accipiende non concedebant. Et tamen non est dubium, quosdam ex illis per quadraginta hos annos in deserto mortuos fuisse, quos nemo damnaverit, si Deo per Fidem in promissionem de venturo Messia fuerunt reconciliati. Jam conferatur hæc Evangelicorum Doctrina de Voto & desiderio hominis per Fidem DEO jam reconciliati, cum doctrinâ Romanensium de Dignitate & merito illius Voti & desiderii, quod in casu necessitatis & in defectu facultatis accipiendi vel impetrandi Baptismum, Bellarminus hic in considerationem trahit, & clarè satis adparebit, multum ab hac illam dissentire, & quod ex Augustino testimonium Bellarminus adduxit, non huic sed illi Sententiæ de Voto & desiderio hominis per Fidem DEO jam reconciliati favere. Ostendit id *Chemnitius*, qui dum per Votum Patres Tridentinos intellexisse dixit pollicitationem certi operis ad accipiendam Iustificacionis gratiam, neque impudenter vel cavillatoriè, neque ignoranter scripsit, sed communem Romanensium Doctrinam de Votis expressit, eam ad Votum Baptismale hic loci non adèò impertinenter adplicans, à genere ad speciem argumentatus. Et ut Augustinum sibi non contrarium, sed omninò consentientem esse ostendat, quoad videlicet votum vel desiderium hominis per Fidem Deo jam reconciliati, ad idem Ejus provocat testimonium, quod pro se suâque sententiâ contra *Chemnitium* laudavit Bellarminus, ubi in proximè antecedentibus hunc in modum scripsit Augustinus: *Invenio, non tantum passionem pro nomine Christi id, quod ex Baptismo deerat, posse supplere, sed etiam Fidem conversionemque cordis, si fortè ad celebrandum Baptismi mysterium in angustiis temporum succurri non potest. Neque enim Latro ille pro Christi nomine crucifixus est, sed pro meritis facinororum suorum; nec quia credidit, passus est, sed dum patitur, credidit. Quantum itaque valeat etiam sine visibili Sacramento Baptismi id, quod ait Apostolus, Corde creditur ad Justitiam, ore autem fit confessio ad salutem, in illo Latrone declaratum est. Sed tunc impletur invisibiliter, cum Baptismi mysterium non contemnitur religionis, sed articulus necessitatis excludit. Et huc referri debent ejusdem Sancti Patris de Baptismo Cornelii & familiarium Ejus verba, quæ ex eodem loco *Chemnitius* ad suæ sententiæ illustrationem ibi citat: *In Cornelio & amicis Ejus posset videri superfluum, ut aqua etiam tingerentur, in quibus jam erat Spiritus Sancti donum, quod non nisi baptizatos alios accepisset sancta testatur Scriptura. Baptizati sunt tamen, & in hoc factò Apostolica extat auctoritas. Usque adèò nemo debet in quolibet propectu interioris hominis, si ante Baptismum fortè usque ad spiritalem intellectum pio corde profecerit, contemnere Sacramentum, quod ministrorum operâ corporaliter adhibetur, sed per hoc DEUS hominis consecrationem spiritualiter operatur. Nec ob aliud existimo munus baptizandi fuisse Iohanni attributum, nisi ut DOMINVS ipse, qui dederat, cum servi Baptismum non sprevisset accipere, dedicaret Humilitatis viam, & quanti pendendum esset suum Baptisma, quo Ipse baptizaturus erat, tali factò apertissimè declararet. Videbat enim tanquam peritissimus aterna salutis Medicus, quorundam non defuturum tumorem, qui cum intellectu Veritatis & probabilibus ita profecissent moribus, ut***

multis

multis baptizatis vitâ atque doctrinâ præponere se minimè dubitent, supervacaneum sibi esse credere baptizari, quando ad illum mentis habitum se crederent pervenisse, ad quem multi baptizati adhuc conarentur ascendere. Libuit hæc duo augustissimi Doctoris loca præcunte Chemnitio ad Ejus Innocentiam contra Bellarmini accusationem prolixius huc exscribere, quia suo postmodum loco iterum usui erunt, ubi in specie de Baptismi necessitate erit agendum, bono cum Deo.

CAPVT VIGESIMVM ET TERTIVM,

DE

Sacramentorum auctore vel Institutore.

DE hoc quidem nulla videtur esse inter Evangelicos & Papistas controversia, utrisque solum pro Sacramentorum institutore agnoscentibus Christum. Et tamen, ne quid controversiæ desit Bellarmino, Evangelicos etiam hic sibi facit adversarios, docentes, *Sacramenta, ea nimirum, que ipsi pro veris agnoscunt Sacramentis, à solo Christo esse instituta, Baptismum videlicet & Eucharistiam, cætera verò, que Papæ hisce duobus addunt, non esse à Christo.* Adversus hunc, quem dicit, errorem monet decrevisse Synodum Tridentinam, *omnia novæ Legis sacramenta esse à Christo instituta, & quidem, ut Bellarminus Concilii Interpres (nescio, an authenticus,) intelligit & explicat, non mediatè, sed immediatè.* Inter cætera, quibus Decretum hoc ivit confirmatum, sequentia etiam Augustini verba laudavit, scribentis, *ipsum primò Dominum, Apostolicam deinde Disciplinam ir adidisse Ecclesiis Sacramenta.* De hoc Sancti Patris testimonio antè jam circa vocis Sacramenti usum apud Patres fuit actum, ageturque de eo post etiam in enodandâ Quæstione de Sacramentorum numero? Nunc ad Instituti præsentis rationem pertinet, ut iteratè hic observetur, quia pluribus supra testimoniis ex non uno Scriptorum augustissimi Doctoris fuit demonstratum, vocem Sacramenti ab Eo aliisque Doctoribus Ecclesiæ in ampliori longè sensu fuisse adhibitam, quàm hodiè: impertinenter planè ad Ejus provocari auctoritatem in hæc de auctore eorum Sacramentorum quæstione, quæ strictiori sensu dicuntur Sacramenta, cum ipse agnoscat Bellarminus, aliter judicandum esse de auctore ceremoniarum Ecclesiasticarum, vel juxta alios Sacramentalium, utpotè circa quas non planè nihil valere Disciplinam, quam Augustinus dicit Ecclesiasticam, non inviti largiuntur Evangelici, in eo quoque Augustinum suæ Sententiæ agnoscentes antecessorem & Veritatis orthodoxæ testem, ut infra amplius demonstrabitur, dum hoc ipso in loco, quem Bellarminus in suæ Sententiæ, septemque Sacramentorum propriè ita dictorum confirmationem citavit, eorum tantummodò Sacramentorum facit mentionem, quæ ab Evangelicis pro Sacramentis propriè ita dictis habentur, Baptismi nimirum & Eucharistiæ, quæ traditioni Dominicæ & Apostolicæ Disciplinæ adscribens Sanctus Pater aliter intelligi vel explicari non debet, quàm eo sensu, quo Paulus de semetipso scripsit, quod à Domino acceperit Corinthiis in expositione Mysterii Eucharistiæ & præscriptâ celebrationis methodo traditum.

lib. III. de
Doctr.
Christ.
cap. 9

CAPVT VIGESIMVM ET QVARTVM,

DE

Ordinario Sacramentorum Ministro.

NON attentâ in examine hujus capitis illâ grandi injuriâ, quâ Lutherum de insigni heterodoxiâ facere laborat suspectum Bellarminus, dum, quæ is ex hypothesi non concessâ, & fortè non dabili, de ministerio verbi & Sacramentorum in Ecclesiâ per Sathanam factò vel faciendò innocenter scripsit, eidem imputavit, ac si de ordinaria administratione Verbi & Sacramentorum illud intellectum voluerit, contra quam alibi Apologias pro Lutheri orthodoxiâ scriptas legere est, huc, utpotè ad præsens Institutum impertinentes prolixè non exscribendas: ea nunc Lutheri Sententiæ per auctoritatem Augustini est vindicanda, quâ Laico etiam homini, sed Christiano & baptizato, in calu necessitatis, sicut ministerium Verbi, ita & Sacramentorum, Baptismi præsertim, utpotè magis necessarii, quàm Eucharistiæ, non denegavit, neque illius administrationem esse invalidam judicavit. Quem enim ad modum Lutherus nusquam omnibus in universum Christianis, absolute & simpliciter, potestatem Verbi & administrationem Sacramentorum

vid. D.
Dannh.
Mysterios.
p. 117.
& 116.

torum concessit, ipso agnoscente Bellarmino, quod Lutherus docuerit, *ad tollendam in Ecclesia confusionem non oportere omnes hac uti potestate, sed eos tantum, qui legitime sunt vocati*; sed locutus est de aptitudine quadam generali Christianorum, quam ad hoc officium respectu infidelium habent, ut potest per Baptismum in fœdus gratiæ à DEO recepti, eo quod et ipso ad illud idonei, si vel legitime vocentur, vel casus necessitatis extra ordinem illorum requirat operam nomine publico & Ecclesiæ præstandam; ita si Augustini respiciendum sit in hoc etiam puncto auctoritatem, à Bellarmino prætermittam, nihil contra eam Lutherus docuisse erit manifestum. Responsurus enim Doctor Augustinus ad illud Donatistarum ex oraculo Pauli argumentum, quo contra Baptismum schismaticorum & hæreticorum uti vel potius abusi fuerant, à Apostolo scribente: *Quid habes, quod non accepisti? inter alia hæc in rem scripsit præsentem: Et si Laicus aliqua per eum dederit necessitate compulsus, quod, cum ipse acciperet, dandum esse addidit, nescio, an pie quisquam dixerit esse repetendum?* Videtur quidem Augustinus aliqua ex parte dubitanter hoc proferre, sed videtur tantum. Si enim mens ejus ritè attendatur, de valore administrationis per hominem Laicum, sed Christianum & baptizatum factæ eum non dubitasse, certum est id quod sequentia confirmant, dum porrò suam ita explicavit sententiam: *Nulla cogente necessitate si fiat, alieni muneris usurpatio est si autem necessitas urgeat, aut nullum aut veniale delictum est. Sed & si nulla necessitate usurpetur, & à quolibet detur cuilibet, quod datum fuerit, non potest dici non datum quamvis rectè dici possit illicitè datum.* Et tamen non invalidam omninò dixit ejusmodi administrationem verbis sequentibus: *Illicitam ergò usurpationem corrigit remissionis & penitentis affectus. Quod si non correxerit, manebit ad penam usurpatoris, quod datum est, vel ejus, qui illicitè dedit, vel ejus, qui illicitè accepit; non tamen pro non dato habebitur.* De ipsa hac Augustini sententiâ meâ nunc non interpono, re hac ad suum infra locum remissa, id jam sufficit, habere Lutherum in eo, cujus gratiâ à Bellarmino fallitatis est accusatus, Augustinum sibi consentientem, quem Bellarminus tamen accusare hic non est ausus. Quia etiam Lutherus in demonstrandâ hæc Christianorum ad Ministerium verbi & Sacramentorum idoneitate ad ea provocavit S. Scripturæ loca, quibus DEI Sacerdotes dicuntur, omninò huc pertinet, quod idem Augustinus ad Apocalypiticum de hoc Elogio oraculum notanter observavit, scribens: *Non utique de solis Episcopis & Presbyteris dictum est, qui propriè jam vocantur in Ecclesiâ Sacerdotes; sed sicut omnes Christianos dicimus propter mysticum chrisma, sic omnes sacerdotes, quoniam membra sunt sacerdotis.*

lib. II. contra Epist. Parmen. cap. 13.

NB.

lib. 20. de Civit. Dei, cap. 10.

CAPUT VIGESIMUM & SEXTUM

De

Ministri Sacramentorum qualitate.

IN hoc capite illud præprimis attendendū venit, quod Bellarminus de Cypriani Sententiâ circa anabaptismum vel rebaptizationem hæreticorum vel ab hæreticis baptizatorum non ex eâ ratione & respectu lectorè informaverit, quatenus Stephanus Pontifex Romanus se eidem opposuit, illo omnes hæreticos ab administratione Sacramentorum, Baptismi nominatim, excludente, hoc est contrario indiscriminatim omnes admittente; Sed quatenus Donatistæ Sententiâ Cypriani revocantes & renovantes multa eidem addiderunt à mente Cypriani omninò aliena. Non frustra autem nec absque singulari causâ Bellarminus collationem sententiarum Cypriani & Stephani omisit, quia sicut illius, ita etiam neque hujus partes ad defendendum ausus & suscipere, quas ad duo extrema declinasse, præter ipsam rei ex scriptis Cypriani notitiam in primis ex illo Augustini testimonio patet, quod ex libri de unico tantum Baptismo contra *Perilianum* capite post decimum quarto, supra non semel ex occasione laudatum, Sorbonista *Launojus*, in primâ quinta partis ad *Carolus Magistrum*, Parisiensem Theologum Epistola, de non errandi privilegio Romanis hodiè Pontificibus adscribi solito, ex Augustini auctoritate agens, primâ in acie locavit, primumque ei & præcipuum ex debito locum adscripsit, his expressum verbis: *Duo erant eminentissimarum Ecclesiarum, Romanæ scilicet & Carthagenensis Episcopi, Stephanus & Cyprianus, ambo in unitate Catholica constituti, quorum Stephanus baptismum Christi in nullo iterandum esse censebat, & hoc facientibus graviter succensebat; Cyprianus autem in hæresi vel schismate baptizatos, tanquam non habentes baptismum Christi, baptizandos in Ecclesiâ Catholica existimabat. Addit & observat Launojus, Augustinum in Recensione Stephani sententiæ non fallere, cum id ipsum conceptis tradiderit verbis ipse Stephanus in fragmento Epistolæ*

vid. D. Dannb. Christ. Act. 1. p. 486. seqq.

Nn

inter

Lib. II. de
Bapt. c.
Donat.
cap. 15.

inter Epistolas Cypriani hodiernum extante. Et quia in alio quodam testimonio idem Augustinus hanc ex professo controversiam tractans in specie de Marcionis baptismo ita iudicavit: *Si Evangelicis verbis in nomine Patris, Filii & Spiritus Sancti Marcion baptismum consecrabat, integrum erat Sacramentum, quamvis fides eius sub ejusdem verbis aliud opinantis, quam veritas Catholica docet, non esset integra, sed fabulosis inquinata falsitatibus*, de quo Augustini pronuntio itidem hic, loco mirum indebito, non pronuntio, ad specialem de Baptismi Dono soli Ecclesie Christi veræ & orthodoxæ proprio instituendam aliàs tractationem id reservans; ex eodem Launojo tamen notatu dignum hic est, ad ejus mentem ex Augustini iudicio errasse Stephanum Pontificem, Marcionis baptismum recipiendò, quem non verbis, ut dixit, Evangelicis, id est, *in nomine Patris &c.* fuisse consecratum, duobus ex Cypriano testimoniis ostendit ibi Launojus. Alia quæ ibi plura in hanc rem à laudato Sorbonistâ ex Augustino diligentissimè collecta leguntur non excribo, proximè eundem ad partes contra Bellarminum pro verâ Augustini mente tuendos revocaturus, ea inter quasi mediam inter Cypriani & Stephani extremos sententiam proponens, quam sub Augustini nomine & inter ejus opera exhibet Author scripti de *Ecclesiasticis Dogmatibus*, quem maximâ ex parte ex operibus Augustini esse collectum, ipse Bellarminus in de *Scriptoribus Ecclesiasticis* agnoscere fuit coactus, & cujus tanquam ipsius Augustini autoritate in aliarum questionum controversiarum explicatio alii scriptores Papæi indubitanter sunt usi, adeoque idem jus Evangelicis concedentes, nisi singulare aliquod Privilegium sibi ipsi proprium in laudandis pro suâ parte Veterum scriptis velint attribuire. Ita verò tanquam Dogma Ecclesiasticum Augustini sententia ibi proponitur: *Baptisma nunc est, sed in Ecclesia, ubi una Fides est, ubi in nomine Patris, Filii & Spiritus Sancti datur. Et ideo, si qui apud illos baptizati sunt hereticos, qui in Sancte Trinitatis confessione baptizant, & veniunt ad nos, recipiantur quidem ut baptizati, ne Sancte Trinitatis invocatio vel confessio annulletur, sed doceantur integrè & instruantur, quo sensu Sancte Trinitatis mysterium in Ecclesia teneatur; & si consentiant credere vel adqueſcunt confiteri, purgati jam Fidei integritate confirmantur manus impositione. Illos autem, qui non Sancte Trinitatis invocatione apud hereticos baptizati sunt, & veniunt ad nos, baptizari debere pronuntiamus, non rebaptizari. Neque enim credendum est, eos fuisse baptizatos, qui non in nomine Patris, Filii & Spiritus Sancti, juxta regulam à Domino positam tincti sunt. Et ubi aliquot hujus generis vel speciei hereticos nominatenus recensuit Author, ab Augustini sententiâ non abluens, quos impietatis germina & pestes verè dixit, idem repetens subjunxit: *Ex istis, si qui ad nos venerint, non requirendum est ab eis, utrum baptizati sint, an non; sed hoc tantum, si credant Ecclesie fidem, & baptizentur Ecclesiastico & Baptismate.* Advertendum verò etiam est, maximam hujus Definitionis partem & in *Formis* decreto & in *Gratiani* Concordiâ, quæ sub titulo Juris Canonici hodiè venit, Augustino adscribi, & quidem non immeritò, cum ex fonte Augustini fluxerit, quod ex laudatis modò & aliis pluribus testimoniis est indubium, è quorum numero nunc illud addere placet, quod sub initium operis de Baptismo contra Donatistas legitur, & dignum est, ut aureis, iisque majoribus literis hodiè ante eorum oculos scribatur, quibus non sine manifesto contemptu Divini cultus apud Evangelicos perinde est, ubi & à quibus infantes baptizentur quos per gratiæ celestis fœdus veræ Christi in his terris Ecclesie cupiunt infertos, parum solliciti etiam si id ab ejus Ecclesie ministris fiat, quam non veram Christi sponſam esse, eomet ipso agnoscant, dum se ab eâ separant, certaque Evangelico per publicam Fidei confessionem adjungunt, certi, se non alibi veram ad æternam Beatitudinem invenire viam. Ita autem contra hos Doctor, si un-*

vid. Rob.
Coc. Cent.
p. m. 540.

cap. 52.

lib. I. cap. 2.

quam, hic certè augustissimus: *Si quem forte coegerit extrema necessitas, ubi Catholicum, per quem accipiat, non invenerit, & in animo, Catholicâ pace custoditâ, per aliquem extra unitatem Catholicam positum acceperit, quod erat in ipsâ unitate Catholicâ accepturus, si etiam de hac vita statim migraverit, non cum nisi Catholicum deperimus. Si autem fuerit à corporali morte liberatus, cum se congregationi Catholicæ etiam corporali præsentiâ reddiderit, undè nunquam corde discesserat, non solum non improbamus, quod fecit, sed etiam securissimè verissimeque laudamus, quia præsentiâ DEVM credit cordi suo, ubi unitatem servabat, & sine sancti Baptismatis Sacramento, quod, ubicunque invenit, non hominum, sed DEI esse cognovit, noluit ex hac vita migrare. Hactenus videtur quidem partes eorum tueri sanctus Pater, qui ubicunque vel ipsi*

sint baptizati, vel sui, quos à DEI manu acceperunt, liberi baptizentur, non adeò multum interesse putant, etiam extra necessitatis casum qui non raro præter necessitatem aliis ex respectibus, non Divinis, sed purè humanis fingitur & pro formâ tantum prætenditur. Sed si proximè sequentia attendantur, quæ liberali manu concessisse visus est, non parùm restrinxisse manifestum erit, his nimirum verbis: *Si NB. quis autem, cum possit in ipsâ Ecclesiâ Catholicâ accipere, per aliquam mentis perversitatem* (nota phrasin, Lector optime,) *eligit in schismate baptizari, etiamsi postea venire ad Catholicam cogitat, quia certus est, ibi prodesse Sacramentum, quod alibi quidem potest accipi, prodesse autem non potest, procul dubio perversus est & iniquus, & tanto perniciosius, quanto scientius. Ita enim non dubitat, rectè illic accipi, sicut non dubitat, illic prodesse etiam, quod alibi acceperit.* Hæc verba, dum ab *Ivone* iterum & *Gratiano* sunt descripta, eò magis notari merentur, quod apud ipsos *Papistas* ea plurimum valere certum sit, ad quorum tamen Baptismum hodiè non paucos Evangelicorum extra necessitatis casum confugere, plusquam notum est, id quod non nisi per aliquam mentis perversitatem & iniquitatem, tantoque perniciosius, quanto scientius fieri, si evangelicis Doctoribus hanc mentis minus Evangelicæ iniquissimam perversitatem & perversissimam iniquitatem ex debito & iustissimo erga sinceritatem Evangelicam Zelo desertantibus credere dubitant & abnuunt, quibus hæc res quidem adia phora videtur, Augustino saltem credant, Doctori augustissimo & Patri sanctissimo, Donatistis quidem Baptismi Sacramentum concedenti, attamen expressè neganti, rectè ab illis accipi, quod non nisi in Catholicâ prodesse potest Ecclesiâ, à quâ ut plurimum per turpem Apostasiam insequentibus postmodum annis secedere solent, adque eam se per publicam Fidei, vel Infidelitatis professionem conferre, in quâ se per susceptum Baptismi Sacramentum regeneratos à Parentibus audiverunt argumentum non adeò infirmum, ut ipsis videtur, inde desumentes, dum in eâ se Ecclesiâ securè & sine omni animæ periculo vivere existimant, in quâ Christus hoc spirituales ex Verbo regenerationis sacramentum conservat, utpotè portam & januam Ecclesiæ regniq; Cælorum; cujus apostasie liberorum rationes annon parentes iustissimo Judici reddere teneantur; deque eorum animæ incertu respondere, imò peccati hujus, cui non planè nullam præbuerunt occasionem, in se reatum suscipere, æternumque luere, nunquam verò eluere, videant & de eo ferò cogitent, quibus & propria & liberorum salus æterna curæ est cordique. Sed ut à digressiunculâ, ad quam *Bellarminus* ipse manu quasi duxit, Augustinum imprimis commendans, Anabaptismi olim à *Cypriano*, post à *Donatistis*, quamvis non unâ ratione, nec ex uno eodemque fundamento defensi historiam examini subjicientem; ut, inquam, redeamus in viam & ad *Bellarminum*, de eo adhuc videndum est, an verè in hoc capite scripsit, hæresin *Donatistarum* damnatam esse in Synodo *Nicænâ*, quam intellexisse Augustinum putat, dum frequentissimè in suis contra *Donatistas* scriptis plenarij mentionem facit Concilii. Etsi enim agnoscat, quia *Augustinus* ipse nullibi plenarium hoc Concilium expressè dicit synodum fuisse *Nicænâ*, multos dubitasse, de quo loquatur Concilio; existimat tamen, nullam esse dubitandi causam, cum *Augustinus* nullum aliud Concilium generale, vel plenarium noverit, nisi synodum *Nicænâ*, in proximè sequentibus sibi met ipsi apertissimè contradicens & scribens, dum fatetur, quatuor (additâ insuper particulâ, tantum) *Augustini* tempore generalia fuisse Concilia, nempe præter *Nicænâ*, *Sardicense*, *Constantinopolitanum* & *Ephesinum*, utrumque numero & ordine primû, ut ut de *Ephesino* excipiat, id indictum fuisse quidem paulò antè mortem *Augustini*, sed demum post mortem ejus celebratum; de *Constantinopolitano* etiam dicat, illud hanc questionem non tractasse. Addit *Bellarminus* pro uberiori confirmatione opinionis suæ, quod *Augustinus* per plenarium illud Concilium, cujus repetitam toties mentionem in causâ *Donatistarum* facit, non nisi Synodum *Nicænâ* intellexerit, ipsum *Augustinum* testari, Concilium illud plenarium ante quam ipse nasceretur, fuisse celebratum, id quod de Synodo *Nicænâ* verum sit, Concilium verò *Sardicense*, quod alias communiter pro *Nicænâ* Synodi adpendice haberi solet, nec notum fuerit *Augustino*, nec istam questionem tractarit, quod de *Constantinopolitano* etiam monuit. Subjungit insuper *Bellarminus*, in Synodi *Nicænâ* Canone decimo & nono, juberi *Paulianistas* rebaptizari, ex quo aperte diduci putat, caterorum hæreticorum Baptisma à Concilio fuisse adprobatum. Denique id unum sufficere pro suæ opinionis valore existimat, quod *Hieronymus* in Dialogo contra *Luciferianos* scripsit, Synodum *Nicænâ* omnes hæreticos suscipere, exceptis *Pauli Samosatani* discipulis, ubi apertissime dicit à Synodo *Nicænâ*

adprobatum Baptisma hereticorum omnium, exceptis quibusdam, qui nimirum forma legitima non utebantur. Equidem in hujus quæstionis, quæ purè historica est, & in factò consistit, evolutione Evangelicis neque scribitur, neque metitur, cum quid Augustinus per plenarium intellexerit Concilium, salvæ rei veritate etiam possit ignorari. Verum quia laudatus proximè Sorbonista Launojus peculiarem huic Bellarmini sententiæ de plenario apud Augustinum in causâ Anabaptismi contra Donatistas Concilio Dissertationem opposuit, eamque iteratò & auctiorem recudi fecit, & ubi à quodam ordinis Prædicatorii homine impugnata fuit, singulari ante annos non multos confirmatione munivit, synodum *Arelatensem* primam nomine plenarii apud Augustinum Concilium intelligens; quia hujus Viri scripta fortè non in plurium manus veniunt, juvat aliquam hanc rem ex eodem breviter excerptere, digna, quæ Lectorem in hâc quæstione historica non planè nullius momenti exerceant. Ante omnia autem venit observandum, quod statim sub initium ex *Sirmondo*, quem acerrimi Judicii Virum dicit, Lectori curiosò sissit, rationem videlicet reddente, cur in primo Conciliorum Galliæ Tomo hanc *Arelatensem* Synodum omnibus alijs anteposuerit, his verbis: *Aptissimum est visum, his omissis, quarum obscurior erat memoria, Synodos nostras ab eo capite inchoari, unde originem ducunt etiam œcumenicæ, primamque omnium statui Arelatensem, quæ sive spectentur Episcopi, qui ad eam convenire, sive res in eâ gesta, nulla usquam post œcumenicæ habita sit illustrior. In eâ quippè & Donatistarum pertinax contentio, quæ Africam vexabat, iterum est discussa, ac pro parte composita, & de Baptismo hereticorum Lex Ecclesiæ tradita, ejusque iterandi præva consuetudo, quæ in eadem Africa inoleverat, penitus repressâ in posterum & interdicta. Episcopi verò tam multi, tam diversis ex Italia, Africa, Hispania, Britanniæ, Galliæque Provinciis confluerent, ut propterea Concilium hoc non dubitavit S. Augustinus contra Donatistas disputans plenarium & universale, & universa Ecclesiæ Concilium appellare. Ut autem Launojus hanc *Sirmondi* sententiam contra Bellarminum defensurus probet, non Nicenam, sed *Arelatensem* Synodum nomine plenarii apud Augustinum Concilii venire, duo in antecessum notanda præsupponit, unum, certiorum locutionis hujus noticiam ex Augustino haberi, utpote citra dubium certiore sui ipsius interprete, quàm ex alijs scriptoribus, qui plenarium, orbis terræ, universale & universæ Ecclesiæ Concilium aliter accipiant, vel accipere pro arbitrio possint; alterum, hæc quatuor, plenarium, orbis terræ, universale & universæ Ecclesiæ Concilium, cum in significato pari Augustinus usurpet, nihil esse omnino, cur in uniusquam alterius explicatione potius mora negetur, sed quod de unâ locutione dicitur, de alterâ etiam rectissimè dictum existimari debere. Nempè, si Augustinus, ubi de plenario verba facit Concilio, de *Arelatensi* Synodo intelligendus sit, de eadem quoque intelligendum esse, ubi de universali, orbis terræ, & universæ Ecclesiæ Concilio loquitur. Ad hæc ritè percipienda ulterius observat, apud Africanos omnes, sive Communionis essent Catholicæ, sive non idem esse plenarium ac universale Concilium atque significato eodem gaudere. Deinde, apud eosdem Africanos bifariam tantum dividi Concilia, in Provincialia nimirum & universalia; & sic apud eos, quod non est provinciale Concilium, universale dici & esse. Tum, dubitari meritò non posse, quin Augustinus, qui in Afrorum Concilijs principatum doctrinæ obtinuerit, idem quod alii fenserint. Et hoc diligenter esse observandum, ut quænam fuerit hâc in re Augustini sententia cognoscatur. Post ex ipso met Augustino varia conquirunt testimonia, quibus luculenter doceri posse existimat, Augustinum hâc denominationem nullum aliud, quàm *Arelatense* Concilium ordine & numero primum intellexisse; inter quæ istud primo exhibet loco, quo Augustinus plenarii universæ Ecclesiæ Concilii mentionem faciens, post aliquam eadem ad huc materiâ occupatus, expresse Judicium *Arelatense* contra Donatistas memoravit, quo nihil clarius, nihil expressius dici potuisse aut scribi monet Launojus. De cæteris ex Augustino locis ad hoc demonstrandum prolixè non ago, utpote in quibus mentionem facit Concilii *transmarini*, quod non de Nicæno, sed *Arelatensi* potius intelligi debere, ex ipso Textu & parallelismo quodam ostendit Launojus. Accedunt verba ejusdem de Baptismo Marcionis jam antè laudata. Illud præprimis hic contra Bellarminum venit notandum, quod in *Canone Synodi Nicænæ*, ad quem Bellarminus provocavit, nullus de Donatistis, sed solum de Paulianistis sermo habeatur, dum è contrario inter canones Synodi *Arelatensis* ordine & numero octavus, paulò post producendus & à falsâ lectione vindicandus, disertam Afrorum faciat mentionem, Et quamvis Hieronymus scribat, *Synodum Nicænam omnes hereticos* (ut verè baptizatos) suscepisse Pauli Samaritaneni discipulis, perinde tamen id intelligendum esse, quæsi, cum solos Pauli Samaritaneni*

vid. Eph.
Erud. T.
4. pag. 45.
& 46. conf.
Gail, in
Summâ
Concil.
Tom. II.
pag. 26.

Epist. 162.
ad Gloriam
&c.

zeni discipulos rebaptizari jubeat Nicæna Synodus, ab eâ caterorum hæreticorum baptisum tacito quodam consensu vellet recipi quâ ratione collatum ab aliis hæreticis Baptisum in hac Synodo receptum facile crediderit, neq; aliam expressiorem Synodi Nicænae regulam inveni apud *Rufinum*, vel apud *Gelasium* Cyzicenum, vel apud *Dionysium exiguum*, vel etiam apud *Turcianum*; at in Concilio Arelatensi, quod Augustino juxta *Launoij* sententiam universale & plenarium dicitur de Baptismo hæreticorum ultrò citroque disputatum esse. Quæ de testimonio Nicænae Synodi negativo quoad controversiam cum Donatistis habitâ dixit *Launojus*, autoritate *Basilii* & *Epiphaniij* postmodum confirmat, eorum videlicet testium, qui hic ante plures alios veniunt attendendi. Ante autem, quàm ad ea respondeat loca, quæ ex Augustino pro Nicæna Synodo nomine plenarii & universalis Concilii intellecto solent proferri, monet iteratò contra Bellarminum *Launojus*, ad intelligendum in hac notione Augustinum non vel parum juvare factam à *Gregorio* primo & magno, vel alio quodam scriptore generalium Conciliorum recensionem, utpotè ex quâ solâ Bellarminus cum suis sequacibus in hujus quæstionis decisione disputet, oblitus, se, de Ecclesiæ Conciliis cum ageret, animadvertisse, aliam at que aliam fuisse olim non modo apud Africanos, sed Romanos etiam generalis seu universalis Concilii acceptionem; & cum diversa fuerit ejusmodi nominum acceptio, & Africani præsertim aliter ac nos hodiè plenarium, universale, & universa Ecclesiæ Concilium usurpaverint, solidam esse non posse extra codices usumque Augustini & aliorum ex Africâ æqualium scriptorum de hac re totâ ratiocinationem. Post examen locorum ex Augustino, quæ pro Nicæna Synodo aliquatenus militare videntur, illud etiam addit *Launojus*, Arelatense Concilium ex eo etiam rectè dici posse plenarium juxta Augustinum, quod deducta ab Apostolis non re baptizandi eos, qui ab hæreticis erant baptizati, consuetudo multas in Conciliis Provincialibus Disputationes habitas fuerit adserta, & ad magnum Arelatense Concilium velut ad unum computum confluerit. Rejectâ post etiam novâ *Francisci Hallerij*, Theologi iidem Parisiensis sententiâ, qua in de sacris electionibus & ordinationibus opere per plenarium hoc & universale Concilium intelligi putavit Synodum Alexandrinam sub liberio Pontifice celebratam, inter ea, quæ ad majorem Dissertationis & argumenti hujus illustrationem inservire existimavit, ipsum Arelatense Concilii canonem, qui contra hæreticorum in specie anabaptisum factus est, & ex quo cum primis probabile videtur, id nomine plenarii apud Augustinum Concilii intelligendum esse, à falsâ Bellarmini & aliorum inscriptione vindicandum sibi fuisse, qui in plerisque Conciliorum editionibus, sive amplioribus, sive contractioribus, sicut & in *Gratiâ* Concordiâ, & hinc apud omnes ferè Papæos scriptores, ita legitur: *De Arianis, qui propria lege sua utuntur, ut rebaptizentur, placuit, si ad Ecclesiam aliqui de hac heresi venerint, interrogent eos nostræ fidei Sacerdotes symbolum, & si per viderint, eos in Patre, Filio & Spiritu Sancto baptizatos, manus eis tantum imponant, ut accipiant Spiritum Sanctum. Quod si interrogati, non responderint hanc Trinitatem, baptizentur.* *Launojus* contra Bellarminum imprimis, hoc Canone abutentem, quem alii plures agmine pleno sunt secuti, depravationes ejus & falsas citationes fideliter describentes, observat, perperam ab eo hunc Canonem de Arianis intelligi & explicari, idque hanc ob causam, quia, quo tempore & anno Synodus hæc Arelatensis habita est & celebrata, Arianorum facto nondum sustulerit vexillum, doctrinâ temporum id restante; inductumque Bellarminum in hanc fraudem per *Gratiâ* citationem; corruptamque Concilii hujus editionem, ubi pro *Afris* vitiosè scriptum fuerit *Arianis*. Et quia Bellarminus in hoc ipso capite circa cujus examen occupamur, existimavit, ex Canone Synodi Nicænae, de quo jam aliquid dictum est, apertè deducti, caterorum præter Paulianistas hæreticorum Baptisma à Concilio fuisse adprobatum; non capere se scribit *Launojus*, quomodo tempore Concilii arelatensis, pluribus scilicet ante Nicænum annis, duæ inter Arianos fuerint baptizandi formæ, quarum alterâ qui baptizarentur, frustra & cassum baptizantur, esseque aliud genus erroris, quod vitari non possit, si Bellarminus crediderit, Concilium hoc Arelatense post Nicænum fuisse celebratum. Ante *Launojum* de hujus Concilii Arelatensis tempore & laudati Canonis correctione *Ferdinandus de Mendoza*, Hispanus, Concilii Illiberitani ad Clementem octavum sub finem præcedentis seculi illustrator ita scripsit: *Ex multis est observare, Concilium Arelatense primum decem & amplius Annos ante Nicænum fuisse. Fuisse autem Concilium illud, quod Constantini consilio in dictum & habitum est, ad causam Afrorum, Cæciliani & Donati, quod fuit initio Pontificatus Silvestri, Canon octavus abundè declarat, in quo agitur de Afris, sic enim legi debet, ut in vetustis & emendatis Codicibus, non Arianis, ut perperam in communibus,*

Lib. I. de
Bapt. c. 3.

Lib. I. c. 3.
pag. 21.

& in Decreto Gratiani, non antiquo tantum, sed & in recentiori Gregoriano legitur, quod emendandum est. Nam quamvis Ariani rebaptizationes admiserint, ut ipsius Decreti censores ex Augustino scite & literatè adnotarunt. Concilium tamen Arelatense tempore hæresis Arii non modo in Gallia, sed nec Alexandria, in qua primum est orta, agnosci potuit, nedum coerceri & puniri. Donatus verò uti ex Augustino liquet, multò antea rebaptizationem in Africa admisit, & ante Donatum Cyprianus, & ante Cyprianum Agrippinus, Carthaginensis Ecclesiæ Præsul. Is enim primus omnium fuit mortalius, ut Vincentius Lirinensis auctor est, qui contra Divinum Canonem, contra universalis Ecclesiæ regulam, contra sensum omnium sacerdotum, contra morem atque instituta Majorum rebaptizandum esse censebat in Africa, à quo postea pars Ecclesiæ multatè est contaminata. Quæ errorè refutare voluit Concilium Arelatense primum, ut graviore sententia & acriori in Episcoporum judicio damnaretur Donatus Afer, qui pertinacius in eo persistebat. Neque etiam prætermitti debet, quod de hoc Canone, in alio tamen argumento & alia occasione, contra Bellarminum observavit Daljeus, lectionem à Mendosa ex emendatis Codicibus laudatam, & à Launojo defensam, auctoritate etiam Sirmondi ex Tomis Conciliorum Galliæ confirmans, testatus, Canonem hunc Arelatensem non quidem in unam tantum hæresim, sed in quamvis, adeoque in omnes respexisse, at tamen Canonis constitutioni occasionem fuisse vulgarem Afrorum eo tempore errorem, è quavis hæresi venientes promiscuè rebaptizantium, quod à Cypriano haustum tunc temporis retinuerint non solum Donatistæ, sed ut videtur etiam Catholici, Anno certè post Arelatensem Synodum circiter quinquagesimo optatam Afrum, tametsi Catholicum Parmeniano Donatistæ concessisse, nihil valere ministratum ab hæreticis Baptisum. Itaque ex eo Afrorum errore occasionem decernendi hujus Canonis arripuisse Patres Arelatenfes, deservientes sapientissimè, baptizandos, qui ab eâ hæresi venient, in qua Baptisus non in Trinitatem, sed alius esset; minimè autem baptizandos, si qui ab eâ hæresi converterentur, in qua ritè baptizati essent in Patrem, Filium & Spiritum Sanctum. Atque ita duos extremos ac contrarios errores, Cyprianum quidem omnes Stephani autem Pontificis Romani nullos ab hæresi ad Ecclesiam venientes baptizantium correxisse commodissimè. Ita Daljeus, à quo ad Launojum, vel eo duce ad Augustinum & laudatum ab eo plenarium & universale Concilium adhuc semel redimus, per quod Arelatensem Synodum, non verò Nicenam intelligi debere, contra Antagonistam supra dictum strenuè defendit, qui dum ad alium quandam à superius laudato Canone Synodi Nicenæ provocat, contra hæreticorum anabaptisum ibi conditum, sed cum pluribus aliis temporum injuriâ deperditum, ex publicâ tamen famâ aliquatenus adhuc tempore Augustini cognitum, ad quem in commendatione plenarii illius Concilii toties iterata respexerit, non impertinenter objicit Launojus silentium de hoc Canone apud auctores æquales vel ætate supiores Nicenæ Synodo, in specie Athanasium, qui eidem interfuerit, & tamen nec Canonem, nec publicam de eo famam testetur, imò ea potius scribat, quo & Canon & publica de eo fama comprimatur potius, quam erigatur; cum que in ad Africanos Præfules Epistolâ in commendandâ Synodo Nicenâ totus sit, nullumque capitulum commendandæ prætermiserit, ut videlicet eam Ariminensi & aliis, quæ Ario favebant, anteposendam esse persuaderet, nihilo minus nullam ejus controversiæ fecerit mentionem, quæ Romanos & Africanos acerrimè inter se commissos tenuerat, quatinus alias causam celebrandæ Synodi Nicenæ præbuisset, non omisit, si, quidquid Augustinus de plenario & universali Concilio totius iteratis vicibus memoravit, in Synodo Nicenâ gestum fuisset. Obeundi certè in eodem cum Judæis die Paschatis controversiam, quæ Athanasio secunda sit Synodi Nicenæ causa, nec majorem tunc, nec majore studio incensam fuisse, quam hæreticorum Baptisimi controversiam, quæ Arelatenfis Concilii tempore viguerat. Accedere, quod res hæc Epistolæ, quam Athanasius ad Africanos scripsit Episcopos, instituto servisset quamplurimum, & persuadendi, quod persuadere cupiebat, rationes auxisset. Itaque, cum ex professo ibi de causis Synodi Nicenæ tractaverit, qui præsens benè auritus & oculus adfuit, nec inter illas hæreticorum baptisimi vel anabaptisimi referat controversiam, indicium videri certissimum, quod in alia Synodo, quam Nicenâ ab Augustino tractata Baptisimi hæreticorum controversia, tanquam in Concilio ad formam loquendi tunc temporis usitatam universali & plenario, finem suum acceperit. Objicit præterea Launojus optatum Miscellanum, à Daljeo quoque hic commendatum, qui itidem nec de Canone Nicenæ contra Anabaptisum hæreticorum, nec de publica ejus fama attestetur, imò potius utrumque non obscurè rejiciat, partim, quia hæreticorum Baptisimata promiscuè & indifferenter nominet profana & sacrilega, non ita nominaturus, si Nicenæ Synodus

de Confir.
pag. 170.

NB.

modus omnium hæreticorum exceptis Paulianistis baptismum admisisset, aliàs hujus Synodi mentionem non omittens; partim quoque, quia, dum in nomine Trinitatis Baptismum omninò dandum esse contendit, videatur ad Arelatenfis Synodi canonem respicere, ubi Baptismus hoc nomine conferendus præscribitur. *Basilium* porrò Magnum, eodem silentio præteritum Synodi Nicenæ canonem publicamque de eo famam in suis de hoc argumento scriptis involventem, imò utrumque in Canonica ad *Amphilochium* epistola non obscure rejicientem, dum in rebaptizatione, hæreticorum, eorum etiam, qui in nomine Trinitatis baptizati sunt, (de quibus proximè laudatus etiam Athanasius pronuntiavit, quod non rectè sentientes, etsi nomine tenus istum pronuntiantes ritum, neque sanam retinentes fidem, instilem possideant aquam, Numme nimirum & Religione destitutam, quæ qui adspargantur ab illis, sordescant potius pravâ Religione, quam redimantur) ad Cypriani auctoritatem receptamque ab ejus tempore in ecclesiis orientalibus consuetudinem provocavit, non provocaturus, si in Nicæna Synodo mos baptizandi hæreticos omninò fuisset abolitus, id quod tamen, quod pace *Launoji* addo, de Concilio etiam Arelatenfi dici posset, nisi fortè illud *Basilio* incognitum, vel auctoritatem ejus, utpotè transmarinam, non adeò magni ab eo aestimatum fuisset, excipere velit quod an locum habere hic possit, alii discipiant. Addit his insuper *Epiphanium*, de quo tamen id, quod de *Basilio*, habendum. Subjungit *Ambrosium*, nullam hujus canonis, publicæ de eo famæ mentionem iis in locis facientem, ubi sese offerebat occasio. *Cyrillum* quoque Hierosolymitanum, quin & ipsum ex abundanti Augustinum, hujus Nicæni Canonis mentionem ibi omittentem ubi quam maxime poterat & debebat, de cætero ita de hæreticorum anabaptismo docentem, quomodo in Canone Synodi Arelatenfis erat præscriptum. Et quia inter alia illud etiam contra Synodum hanc Arelatensem fuit objectum, non posse vocari plenarium & universale, vel universæ per totum orbem Ecclesiæ Concilium, quia in eo ex oriente nullus adfuerit, & magna pars occidentis etiam defuerit; egregiè & multa cum observatione respondet *Launojus*, hoc ipsum de Tridentinâ Synodo dici debere, cui ex oriente nullus adfuerit, & magna pars occidentis etiam defuerit, post plura ad hujus demonstrationem addens, *Arelatenfi Concilio longe plures, quam Tridentinâ Episcopos interfuisse*. Alia in hanc rem à *Launojo* contra antagonistam notata, præfertim, quæ ipsam œcumenicæ & universalis Synodi notionem in se attinent, ne digressio hæc, ut ut de mente Augustini occupata, adeoque hic non omninò impertinens, nimis excresecat, prætermitto, ea tantum adhuc subjecturus, quæ ad conciliandam huic sententiæ de Concilio Arelatenfi fidem ex auctoritate aliorum porrò monuit, & quidem ante cæteros ex ipso met Bellarmino, illud de plenario & universali Concilio testimonium Augustini, cujus supra mentio est facta, ob ipsum Augustini iudicium satis manifestum, ubi de Conciliorum auctoritate cum vel sine Papâ suam exposuit & defendit sententiam, de Arelatenfi Concilio incunctanter & in hæsitante intelligente & explicante, id quod ad contradictionem in Bellarmino numerum aliàs satis amplum & sine numero ferè debet referri. Post Bellarminum laudat *Launojus Gabrielem Alraspinæum*, Aurelianensem Episcopum, celebrem & Ecclesiasticæ Antiquitatis peritissimum scriptorem, in ad optatum *Milevitanum* observatione decimâ hoc plenarium ex Augustino Concilium de Arelatenfi explicantem; & *Petrum de Marca*, ex Tolosano Archi-Episcopum Parisiensem, illustrissimi operis de *Concordia Sacerdotii & Imperii* auctorem, supra non semel ex merito laudatum, pari modo de hæc Synodo scribentem, & *Launoji* de hæc sententia Dissertationem peculiari ad eum epistola adprobantem. Addit *Jacobum Sambucium*, Theologiæ in Sorbona Professorem, idem de eadem publicè in scholis docentem; *Philippum* quoque *Labbeum*, nominatissimum in Societate Ignatiana scriptorem, non solum in Conciliorum Synopsi paucos ante annos Lutetiæ edita, sed & in ampliori Conciliorum editione ab eodem cepta, ex *Sirmondo* hujus sententiæ defensorum. Et ut numerus, qui à partibus *Launoji* stant, augeatur, addo, venisse non ita pridem in manus Disputationem, anno demùm post sesquimillesimum, centesimum & sexagesimum sexto, in Sorbonâ habitam, in qua eadem plenarii apud Augustinum Concilii de *Arelatenfi* explicatio fuit proposita, & sine dubio etiam defensa. His jam omnibus in fasciculum collectis, quæ laudatus Sorbonista *Launojus*, ex quo hætenus excerpta quædam fuerunt proposita, amplissimè & prolixissimè in peculiari de hoc argumento dissertatione, ac ejusdem contra Antagonistam Dominicanum confirmatione & defensione exhibuit nemo prudens non ad-

vertit, si hodie *Moralis Theologiæ* Doctores pro sententiâ probabili posse haberi & agnosci contendunt, quæ uno tantum celebri & ob eruditionem laudato Authore nititur, de qua tanquam res in dubia habetur, tum nihil sine ratione certa statueret, & quidem, quod *Bordonus*, Parmensis Theologus, ordinis Francisci, non ita quidem Propugnaculo opinionis probabilis, à se edito, contra quosvis ejusdem adversarios notanter titulo-tenus præscripsit, in concursu opinionis etiam probabilioris, hanc *Launoij* de Synodo Arelateni tanquam Concilio ad Augustini mentem universali & plenario sententiâ vix posse numero opinionum quam-maximè probabilem excludi, utpote probabilitate non solum extrinsecâ, autoritate videlicet eorum, qui eidem adspiciuntur, sed & intrinsecâ, rationibus nimirum ex ipsis testimoniorum Augustini & coetaneorum visceribus singulari studio depromtis gaudentem, hanc tamen additâ protestatione meâ, me hanc Controversiam non facere meam, sed hæc eum in finem adduxisse, ut lectori veritatis studioso hoc etiam exemplo constet, testimoniorum Augustini explicationes Bellarminianas, iis quoque in rebus, quæ fidei controversias non attingunt, sed tantum historice sunt, sincerioribus in Papatu Romano Doctoribus non semper placuisse vel acceptos fuisse.

CAPUT VIGESIMUM & OCTAVUM

De

Intentione Ministri Sacramentorum.

DUO in hujus Quæstionis tractatione vindicari debent Augustini loca, ad quæ contra intentionem directâ & directè satis militantiâ Bellarminus respondere conatur, quo successu & causæ emolumento, statim indicabitur. Et quia priorem locum ex *Chemnitio* citat, aliquantò prolixior ex eodem huc adscribendus est, quia Bellarminus iusto brevior exhibuit, ne vis ejus & efficacia contra intentionem lectori tam aperte ob oculos poneretur. Observavit autem *Chemnitius*, Augustinum de Baptismo contra Donatistas disputantem sequentes quatuor movisse quæstiones, *primam*, Si quis fallaciter, hoc est, animo simulato Baptismum in Ecclesiâ accipiat; *secundam*, si quis in Mimo cum fide accipiat; *tertiam*, si quis ab eo, qui non est baptizatus, accipiat; *quartam*, si tradens in Ecclesiâ baptismum fallaciter agat. Et de his quæstionibus notat, Augustinum primò in utramque partem disputare, his verbis: *An, quantum ad ipsos quidem attinet homines, plurimum distat inter eum, qui fide Baptismum accipit à Mimo, & qui animo simulato Baptismum in Ecclesiâ accipit; ad ipsius autem Sacramenti integritatem nihil interest? Similiter interest ad integritatem Sacramenti in ipsa Ecclesiâ Catholica, utrum id aliqui fallaciter an veraciter agant, cum hoc idem utriq; agant; quomodo extra Ecclesiam intersit, non video, quando ille, qui accipit, non simulatione palliatus, sed religione mutatus est. An plus valent ad confirmandum Sacramentum illi veraces, inter quos agitur, quam ad frustrandum illi fallaces, à quibus agitur & in quibus agitur, & tamen, si postea prodatur, nemo repetit? Sed nobis tutum est in ea non progredi aliquâ sententiâ temeritate, quæ nullo in Catholico regionali Concilio cepta, nullo plenario Concilio terminata sunt. Et mox: Veruntamen si quis forte in eo me Concilio constitutum, ubi talium rerum quæstio versaretur, talibus non precedentibus, quorum sententiâ sequi mallem, negaret, ut dicerem, quid ipse sentirem; si eo modo adfectus essem, quo eram, cum ita dictarem nequaquam dubitarem, eos habere Baptismum, qui, ubicunque & à quibuscunque illud Evangelicis consecratum, sine suâ simulatione & aliqua cum fide accepissent. Item, Præteritis majorum statutis non dubito, illos etiam habere Baptismum, qui quævis fallaciter id accipiunt, in Ecclesiâ tamen accipiunt, vel ubi putatur esse Ecclesiâ ab eis, in quarum societate id accipitur, de quibus dictum est. Ex nobis exierunt &c. Ubi autem neque societas ulla esset ita credentium, neque ille, qui acciperet, ita crederet, sed totum laudare & mimè & joculariter ageretur, utrum ad probandum esset Baptismus, qui sic daretur, Divinum judicium per alicujus revelationis oraculum oratione implorandum esse conferrem, ita sane, ut post me dicitur as sententiâ, si quid jam exploratum & cognitum adferrent, humiliter expectarem. Subjungit *Chemnitius*: Hæc Augustinus pro solita sua vere christiana modestia. Usque adeo autem ex institutionis veritate & certitudine, non ex hominum sive dantium sive suscipientium quaque vel qualitate vel intentione vult metiendam esse veritatem & integritatem Sacramentorum, ut ne de mimica quidem seu joculari actione ausit pronuntiare. De hoc autem joculari Baptismo addit *Chemnitius* ex Lombardo, ejus postmodum tempore hanc Quæstionem ita disputatam fuisse.*

Lib. 7, c. 53.

fuisse à sapientibus, ut visum fuerit, non esse Baptismum, quia non intentione baptizandi illud geratur, hæc cum additione, & in hoc & in aliis Sacramentis, sicut forma & servanda, ita & intentionem illud celebrandi esse habendam; Lombardum verò intentionem intelligere de ipso actu baptizandi, non de fine & effectu Baptismi, obsequentem Augustini sententiam: *illud re non moveat, quod quidam non eâ fide parvulos ad Baptismum ferunt, ut per spiritum ad æternam regenerentur vitam, sed eos putant hoc remedio temporalem accipere sanitatem; non enim propterea illi non regenerantur, quia nec ab illis hæc intentione obseruntur.* Monet porro Chemnitius, Hanc Lombardi præeunte Augustino sententiam de intentione celebrandi actionem Baptismi nihil aliud velle, quam institutionem esse servandam, ut verum sit Sacramentum; non enim hoc velle institutionem Baptismi, ut vulgaris aliqua lotio fiat, vel quæ ex professo nihil aliud sit, quam vel lusus ridiculus, vel mimica subfannatio, vel profanatio institutionis cum recitatione verborum, sed requirere, ut peculiaris instituat actio, & illa quidem, quam Christus instituit, & hoc sufficere ad servandam institutionem. Post alia in hanc rem plura, ne quid ad illustrationem Controversiæ desit, illum tandem Chemnitius notat, distinctas & multum diversas esse duas has Quæstiones, *quid ad veritatem & integritatem Sacramenti requiratur & necessarium sit; & quid à ministro requiratur, ut quantum ad suam personam fidelis & bonus sit, quo animo, quâ fide, intentione & devotione Sacramenta tractare debeat, ne sicut Paulus inquit, aliis prædicans & ministrans ipse reprobus efficiatur?* Ministrum enim, qui animo profano, irrisorio, negligenti & irreverenti Sacramenta tractat, peccare, dubium non esse; sed hæc Ministri vitia, si tamen Sacramenta juxta Christi institutionem administret, non posse veritatem DEI irritam facere, non enim ad substantiam & veritatem Sacramenti pertinere vel qualitatem, vel fidem, vel devotionem Ministri. Et hanc distinctionem elegantissimis Augustini sententiis Lombardum illustrare, scribens: *Ego dico, & nos dicimus omnes, quia justos oportet esse, per quos baptizatur; justos oportet esse tanti Judicis ministros. Sint ministri justi, si volunt; si autem noluerint esse justi, qui sedent in Cathedra à Moysi, securum me facit meus Magister Christus, de quo Spiritus Sanctus dicit: Hic est, qui baptizat. Item: Quos baptizavit Iudas, Christus baptizavit. Si quis ergo baptizavit ebriosus, homicida, adulter, si Christi erat Baptismus, Christus baptizavit. Non timeo adulterum, nec ebriosum, nec homicidam, quia columbam attendo, per quam mihi dicitur: Hic est, qui baptizat. Item: Baptismus talis est, qualis est ille, in cuius potestate datur; non qualis ille per cuius ministerium datur. Et iterum: Habent ergo non modo boni, sed etiam mali ministerium baptizandi, sed neutri potestatem Baptismi; ministerium enim dedit Christus servis, sed potestatem sibi retinuit.* Et rationem addit, quare hanc potestatem servis non dederit: *Ne scilicet servus in servo spem poneret.* Hæc omnia ex Augustino contra intentionis omnimodam necessitatem à Tridentinâ Synodo sub Anathematis fulmine rigorosius iusto adfertam Chemnitius, uno in loco, ad unum eundemque Canonem & tamen Bellarminus, quâ solitus est negligentia Adversariorum libros evolvere, priorem modo Augustini locum quasi à Chemnitio laudatum lectori exhibuit, posteriorem verò quasi ab aliis commendatum in hoc argumento, quem in Chemnitio tamen cum priori videre potuisset & jure debuisset, si debitam in evolvendo Chemnitius examine adhibere voluisset diligentiam, hinc inde quædam, prout commodum ipsi fuit visum, excerptens, potiora verò ut plurimum & notatu digniora, adeoque & difficiliora, quasi à se non visa aut lecta prætermittens, ut ut & hunc quoque posteriorem locum non omni responso destitutum voluerit, ubi satis priori à se factum existimavit. Ita autem ad priorem Bellarminus, esse eum contra adversarios, dicere enim Augustinum, *se eâ de re dubitasse, quia in nullo res definit a fuerit Concilio; nunc autem in duobus Conciliis generalibus, Florentino nimirum & Tridentino esse definitam.* Neque referre, quod ea non recipiantur à Lutheranis, cum neque Nicænum fuerit receptum à Donatistis in causâ anabaptismi, & tamen Augustinus ubique adfirmet, rem esse certam & definitam ob illius Concilii auctoritatem. Deinde ibidem Augustinum, cum petendam esse DEI revelationem dicit, an Baptismus joco traditus sine verâ conferendi intentione sit ratus, aperte testari, non esse certum ex scripturis, ut adversarii jactitant, Sacramenta non requirere intentionem Ministri. Præterea sine dubio Papæos longè melius facere secundum Augustini sententiam, eos baptizando, *verius rebaptizando*, qui sine intentione sunt baptizati, quam Lutheranos non baptizando; nam in re dubiâ præstare Baptismum repetere, saltem sub conditione, quam exponere se periculo Baptismum amit-

tendi.

Lib. 4. di-
stinct. 5.

tendi. *Ad posteriorem* verò locum paucis se expediri posse existimavit, excogitata nimirum subtili *inter ebrium & ebriosum* distinctiunculâ, de hoc tantû, non autem illo Augustinum esse locutum respondens, adeoq; Baptisum ab ebrioso quidem, non autem ab ebrio collatum rati eum habuisse. Perpulchrè & nimis subtiliter! *quasi* verò ebriosus, qui per crebrius exercitiû temulentia habitum contraxit, etsi non semper in statu ebrietatis perfectè, si modò vitii aliqua perfectio adscribi potest, seriam illius rei intentionem & quod idem ferè est, attentionem habeat, quam ex officii & muneris ratione effectui dare tenetur, & non potius ut plurimum sine & intentione & attentione id agere dici possit, quod quâ ratione à se factum, ipse forsitan finito labore ignorat, nedum ut aliis testimonium de eo præbere sit idoneus, quod nisi ex èplis, neq; adeò paucis ex dignorum fide testimonio relatione constaret, ut hic contra Bellarminum urgeretur, non opus adeò fuisset. *Ad priorem* nunc regredimur Augustini locum, visuri, an responsum Bellarmini habere possit locum, & an *Chemnitius* impertinenter eum pro se laudaverit, quem Bellarminus ei contrarium dicit. Agnoscimus autem meritò & ex debito prædicamus cum *Chemnitio* singularem augustissimi Doctoris modestiâ, in re facti, quoad mimicam Baptismi administrationem, ejusq; vel nullitatem vel valorem, proprio non fidentis iudicio, sed Concilii alicujus plenarii definitionem desiderantis; ita tamen, ut in hujus defectu eaq; inter sua non dissimularit sententiam, de veritate & integritate Sacramenti non ex hominum si-ve dantium, si-ve accipientium quacunq; vel qualitate vel intentione, sed ex Institutionis veritate & certitudine judicans, eos videlicet habere Baptisum, qui ubi-*q;* & à quibuscunq; *verbis consecratum evangelicis, sine suâ simulatione & aliquâ cum fide accipissent,* quod contra intentionis Sacramentorum ministri omnimodam necessitatem satis clarè & aperte dictum & scriptum est. De cætero, quæ Augustini mens de Conciliorum, in rebus fidei autoritate fuerit, supra in hujus argumenti illustratione fuit ostensum, ubi verba ejus contra Maximinum Arianorum Episcopum scripta à Bellarmini fraudulentiâ

Lib. III. c. 14. expositione fuerunt vindicata, scribens: *Nec ego Nicænum, nec tu debes Ariminense, tanquam præjudicaturus, proferre Concilium; nec ego hujus autoritate, nec tu illius detineris. Scripturarum autoritatibus, non quorumcunq; propriis, sed communibus nrisque resibus, res cum re, causa cum causa, ratio cum ratione concertet.* Et legi hic quoque iteratò merentur ejus verba, quibus in hoc ipso de Baptismo ejusque inter hæreticos valore contra Donatistas argumento, quod cum præsentis Controversiâ de intentione Ministri in aliquibus coincidit, Conciliorum autoritatem scripturarû autoritati postpo-

Lib. II. c. 3. sinit & subjecit, singulari cum confidentiâ scribens: *Quis nesciat, sanctam scripturam Canonicâ, tam Veteris, quam Novi Testamenti, certis suis contineri terminis, eamque omnibus literis Episcoporum posterioribus ita præponi, ut de illâ dubitari omnino & discipari non possit, utrum verum vel utrum rectum sit, quidquid in eâ scriptum esse constituerit, Episcoporum literas autem, quæ post confirmatum Canonem vel scriptæ sunt vel scribantur, & per sermonem fortè sapientiorum cujuslibet in eâ re peritioris, & per aliorum Episcoporum graviorum autoritatem, doctorumque prudentiam, & per Concilia licere reprehendi, si quid in eis fortè à veritate deviatum est, & ipsâ Concilia, quæ per singulas regiones vel Provincias fiunt, plenariorum Conciliorum autoritati, quæ fiunt ex universo orbe Christiano, sine ullis cedere ambagibus, ipsaque plenaria sæpe priora emendari a posterioribus, cum aliquorum experimento aperitur, quod erat clausum, & cognoscitur, quod latebat, sine ullo sacrilegæ superbia typho, sine ullâ arrogantia inflata cerone sine ulla livida invidia contentione, cum sanctâ Humilitate, cum pace Catholica, cum charitate Christianâ. Concilia, Florentinum & Tridentinum, quæ tanquam generalia pro necessariâ Ministri intentione jactat Bellarminus, sicut Evangelicis justis de causis non recipiunt, ita certum est, neque ab Augustino receptum iri, si post ea vivere datum ipsi fuisset, ejusdemque sententiæ constans Adsertor mansisset, quam contra intentionis necessitatem satis manifestè expressit. Quod autem de valore Baptismi mimici & per jocum administrati agentis Divinam expectari debere revelationem putavit Augustinus, eo iterum singularem modestiam exhibuit, in casu tam singulari suum magis suspendens, quam imprudenter aliis obtudens iudicium. Et si, ad hominem disputo, Augustinus ideo juxta Bellarminum, non esse certum existimavit, Sacramenta intentionem Ministri non requirere; sequitur, eum æquè incertam habuisse intentionis necessitatem, contra quam tamen*

lib. I. cont. liter. Petri. cap. 3. & hic & alibi luculenter satis scripsit. Pertinet præter jam laudata huc, quæ notantur contra parem Donatistarum errorem notavit sanctus Pater: *Baptizentur à bonis, ut possint fidem percipere, non reatum. Sed quomodo & de istis securi erunt,* si con-

si conscientia (Intentio & attentio) dantis attenditur, quæ latet oculos accepturi. Ita secundum eorum sententiam, (notetur vis consequentiæ) fit salus illa spiritualis incerta, dum contra scripturas sanctas est, quæ dicunt: Bonum & confidere in Domino, quam confidere in homine. Et, maledictus omnis, qui spem suam ponit in homine. Spem baptizantium auferunt à Domino DEO, & in homine ponendam esse persuadent. Unde fit omnino, ut non incerta, sed prorsus nulla sit salus, quia Domini est salus, & vana est salus hominis. Itaque quisquis in homine spem posuerit, etiam quem iustum & innocentem novit, maledictus est. Et post pauca: Idagunt isti, ut origo, radix & caput baptizati non nisi ille sit, à quo baptizatur. Ita fit, ut, quoniam plerumque, qualis sit baptizator, incertum est; incerta origo, incerta radice, incerto capite, spes etiam hominis incerta sit. Et cum fieri possit, ita esse conscientiam dantis, ut scelerata atque maculosa sit, & hoc ignoret accepturus; consequenter fit, ut scelerata à origine, scelerata à radice, scelerata à capite, spes quoque baptizati vana & inanis existat. Omnis enim res origine & radice consistit, & sic caput non habet aliquid, nihil est. Et iterum post aliqua: Querimus nos, cum baptizator perfidus latet, & si tunc ille, quem baptizat, fidem percipit, non reatum, si tunc ei non est baptizator ejus origo & radix & caput; quis est, à quo accipit fidem? Ubi est origo, de qua oritur? ubi radix, unde germinat? ubi caput, unde incipit? An forte, cum baptizantem perfidum ille, qui baptizatur, ignorat, tunc Christus dat fidem, tunc Christus est origo, & radix & caput? ò humana temeritas & superbia! Cur non finis potius, ut semper Christus det fidem, christianum dando facturum? Cur non finis, ut semper sit Christus origo christiani, in Christo radicem christianus figat, Christus christiani sit caput? Ultima hæc Augustini verba, quibus similia plura ibi in sequentibus leguntur, interserere possunt contra eam Thomæ Aquinatis (de cuius circa Intentionis necessitatem in administratione Sacramentorum sententia in Vindiciis Evangelico-Thomisticis prolixè actum est) doctrinam, quam ei Amadeus Guimetus adscripsit, quasi nimirum statuerit, Si desit mentalis intentio in baptizante puerum, piè credi, quod summus Sacerdos, scilicet Deus, defectum suppleat & salutem ei conferat. Et si enim Vincentius Baro, ordinis Cyriacorum scriptor hodiè celebris, in alterâ Manuductionis ad Moralem Theologiam parte, contra Guimetus sicut in pluribus aliis capitibus, ita in hoc etiam demonstrare conatus est, aliam & alienam Doctriam Angelicam adscribi sententiam, hæcque ab eo verba non ad propriam, sed aliorum mentem esse scripta; non tamen deseruit suam, quam semel defendendam suscepit, causam, inque suppliciter ad Sacra (verius, Sacerrima) Congregationis Cardinales contra Baronem Libello, hanc ipsam ipsius Thomæ sententiam fuisse contendit Guimetus, cujus Controversiæ decisionem iis nunc relinquimus, ad quos semel est delata, visuri, in quam partem sit inclinatura, si modo publicè exponetur huic, inque hæreticorum manus suo tempore deventura. Ea inter sufficit observasse, hanc, quæ de supplemento gratiæ baptismatis ob defectum intentionis in Ministro adscribitur Thomæ, doctrinam non adeò multum differre ab eâ, quam post alios plures nuper modò proposuit Pacifex Volusius, scepticismum prætenæ necessitati intentionis objectum ab eâ amoliri studens, dum ad Pacem inter partes ineundam ita ex suâ mente scripsit: Queritur, An possis scire, te baptizatum esse, cum id penderit ab intentione Ministri? Respondeo, Non possum scire certitudine fidei, cui nullum omnino falsum subesse possit. Transcat. Non possum aliâ piè & prudenter præsumtâ certitudine, quæ Divina innititur Providentiâ, haud permissura, ut homo absque suâ culpâ tam necessario Sacramenti fructu privetur, & non aliunde hic defectus suppleatur. Sic nego. Ita Volusius. Applica, Lector, Augustini verba ultimò citata, & videbis, idem contra hodiernos valere Intentionistas, quod sanctus Doctor contra Donaristas suo tempore graviter monuit, omnem Sacramenti vim, virtutem, veritatem, certitudinem soli DEO institutori adscribens. Plura jam possent contra hanc augustissimi Patris observationem notatu in hac Controversiâ dignissimam, sicut in aliis modernorum scriptis, ita præsertim in Caramuelis Theologiâ Intentionali & Præter-Intentionali (qualem prior Ætas non vidit, præsens stupet, & si quæ est futura, nisi omnem amittat sensum, detestabitur) occurrentia notari & ostendi, quantum in hac re à simplici modestiâ Augustini sit discessum, & quam liberè non tantum in fingendis casibus nunquam debilibus vel possibilibus versentur, qui in casibus quotidie occurrentibus vel hærent vel graviter errant, sed & in fictorum & simul intricatissimorum casuum decisionibus temerariè procedant, liquida cum illiquidis, pura cum impuris, certa cum incertis ut plurimum permiscentes, & Lectorem rarò aut nunquam nisi dubium & suspensum à se dimittentes, & si res quam

Opusc.
Moral. pag.
m. 365.

vid. Eph.
Gallor. T.
II. p. 368.

apud Hon.
Fabri, in
Apol.
Doctr.
Moral. p.
453.

in Aurorâ
Pacis, pag.
48.

optimè succedat, malè informatum, & solis Probabilitatibus plerumque improbabillissimis, & omni verâ ratione carentibus innixum. Sed non licet aut libet jam adhuc progredi, peculiari plenariam tractationem requirente operâ.

Non possum, quin breviter subjungam, quæ hæc jam conscriptis legere fuit concessum in Vindicis Augustinianis *Henrici de Noris*, qui peculiarem huic etiam *Questio-*
 ni in iisdem consecravit operam, *an Augustinus putaverit, Baptismum sine intentione datum esse validum*, observans, *Antonium Moraines* vel *Iohannem Martinum* errore Augustinum involvere, quia de hæc re dubitaverit, *Macedone* in opere de *Clavibus* eî quoque inter recentiores numerante, de quibus scripsit, *in solenter eos se gerere, qui Augustinum ob id reprehendunt, de hoc Martino singulariter monens, cum Augustino esse inimicissimum*. Quia verò hic *Macedo* subscripsit sententiæ *Aquinatis*, quæ alia planè est ab eâ, quam ei adscribere *Guimenium* dixi, nimirum statuentis, dupliciter posse quempiam baptizare incircoriè, vel propter solam oblectationem, absque intentione id faciendi, quod facit Ecclesia, vel conferendi rem sacramenti, nempe gratiam, vel cum intentione quidem id faciendi, quod facit Ecclesia, sed non conferendrem sacramenti, quod nimirum ipse falsum atque nullum arbitratur, atque non priori, sed posteriori sensu validum esse Baptismum, sed cum nesciamus, quo ex his duobus modis ludicrè baptizans alterum abluerit, expectandam esse ex Augustini Sententiâ Divinam revelationem, a pertè falsus est *Nocisius*, hanc explicationem mentis Augustinianæ nullo sibi modo posse probari, sequenti additâ ratione: Nam in dubio, inquit, Baptismus repeti debet, ut communis Doctorum sententiâ tradit ex Concilio Carthaginensi, sub initium seculi quinti celebrato, ubi in dubio, an puer barbarus venundatus sit baptizatus, decernitur, illum esse baptizandum. Expedi enim ita *Vindex Augustinianus*, Sacramentum potius exponere periculo nullitatis, quam hominem periculo damnationis; neque dicunt Patres, in eo dubio implorandam revelationem Divinam. Porro, sic pergit *Nocisius*, illud Decretum Augustino notum fuit, quo præsentè repetitum cum cæteris Canonibus Synodorum Africanarum sub *Aurelio* Carthaginensi habiturum in plenario Concilio Africano, Anni ejusdem seculi post decimum noni. Igitur voluntate baptizantis per ludum non adparente, Baptismus iterum est repetendus. Quando autem Augustinus ait, *Divinum Iudicium per alicujus revelationis oraculum &c. esse implorandum*, non intelligit in dubio facti, sed in dubio juris; nam persona talis sic baptizata iterum esset baptizanda. At de sufficientiâ & valore talis modi, ut inter dogmata Ecclesiæ definitio certa reponeretur, expectandam dixit revelationem. Et postquam inter cæteros, qui de hujus dicti Augustiniani intelligentiâ egerunt, primas ferrè dixit *Vasquezium & Lugnem*, ipse eâdem ferè incedit viâ, quâ *Chemnitium* in scrutando Augustini sensu utrum fuisse vidimus, ut ut sub finem Tractationis nihil sibi cum *Chemnitio* esse negotii protestatus sit. Inter alia, ubi responsum Augustini ad questionem primam & secundam proposuit, sequentem adjecit observationem notatu dignissimam: *Itaque ex Augustini sententiâ sufficit ad valorem Baptismi, quod in altero rotantum vera sit Fides, licet in uno possit esse fallacia & simulatio*. Porro, non est certum, an de intentione ad Baptismum necesse loquatur; nam *Vasquez* putat, per fallaciam & simulationem excludi veram intentionem aut dantis (de qua hic tantum sermo est) aut accipientis Baptismum. Quare, cum dicit Augustinus, qui fallaciter accipiunt Baptismum, ex sententiâ *Vasquezii* idem sonat, ac absque intentione; & concludit idem *Vasquez*, Augustinum putasse, Intentionem non esse necessariam in dante & accipiente Baptismum, sed satis esse, quod sit in altero, quæ sententiâ, inquit *Nocisius*, modò rita non est, ob decreta Conciliorum, quæ tamen *Vasquezii* non fuerunt incognita. Addit idem, Explicationem hanc *Vasquezii* hanc pati difficultatem, quod Augustinus apertè scribit: *Præteritis Majorum statutis non dubito, illos etiam habere Baptismum, qui, quamvis fallaciter id accipiant, in Ecclesia tamen accipiunt*. Si igitur, ita *Vindex Augustinianus* argumentatur ex hypothesi & explicatione *Vasquezianâ*, Baptismum accipere fallaciter est, Baptismum recipere sine intentione, Majorum statutis decretum erat, recipientem sine intentione esse baptizatum verè; hoc enim testatur Augustinus, qui ob Decessorum statuta Baptismum cum fallacia & simulatione recipientem non dubitat baptizatum validè. Pergit consequentias necesse *Nocisius*, Quod si fallacia & simulatio significant carentiam intentionis, quis non videat, communem olim in antiquâ ecclesia sententiam fuisse à Synodo Tridentinâ damnatam, nempe, non requiri intentionem ad valorem Sacramenti? Augustinus enim statuta Majorum adpellat, quibus decretum erat, fallaciter, hoc est, sine Intentione, ut *Vasquez* explicat, accipientem Baptismum habere verum. Item testatur

testatur tales cum ea fallacia baptizatos, si prodatur ea simulatio excommunicare, non verò rebaptizari, quod illis significat verbis, supra etiam citatis, *nemo repetit*, scilicet Baptismum; cuius oppositum, inquit *Vindex* modo docet ecclesia, quæ, cum definiat, *Baptismum sine intentione collatum esse nullum*, repeti iubet illum. Itaque explicatio, quæ Augustini dicta *Vasquez* interpretatur, stare nullo potest modo, nisi dicamus vel antiquos errasse Patres, & eos non rebaptizantes, qui cum simulatione Baptismum peregrissent, eorundem damnationis causam fuisse, vel certè Tridentinos ac Florentinos Patres contra vetustioris Ecclesiæ sententiam statuisse, *intentionem esse necessariam ad valorem Sacramenti*, quod utrumque falsum & absurdum est. Sic contra *Vasquezianam* explicationem sententiæ Augustini Evangelicis non parùm propitiæ & propitiæ ex solâ autoritate Conciliorum argumentatur *Norisius*, non reiecturus eam, si nõ obstante hac autoritate cum *Vasquezio* Augustini & Ecclesiæ tum orthodoxe sententiã hoc modo explicare fuisset ausus, quo utpotè difficiliori reiecto, de alio fuit sollicitus, quem sequentibus explicat verbis: *Fallacia & simulatio duplici sensu possunt accipi, vel quatenus excludunt intentionem faciendi, quod facit Ecclesia, in conficiendo Sacramento; vel quatenus excludunt Fidem, seu credulitatem vel existimationem de re & effectu Sacramenti, qui est Sanctificatio animæ per gratiæ infusionem, quæ duo valde sunt diversa*. Nam si quis gentilis velit baptizari ob lucrum, quod inde sperat à Principe Christiano, fallaci animo ac simulato Baptismum accipit, fallacia tamen & simulatione intentionem necessariam ad valorem Sacramenti non excludente, per quam intendit facere, quod facit Ecclesia, sed rem & effectum Sacramenti, nempe gratiam sanctificantem. Quare cum ex dictis contra *Vasquezium* intelligi non possit Augustinus de fallacia & simulatione, intentionem id faciendi, quod facit Ecclesia excludente, quam Synodi posteriores statuerunt necessariam esse ad valorem Sacramenti, accipiendus est *de fallacia & simulatione intentionem seu credulitatem, & existimationem de re & effectu Sacramenti excludente*. Hæc ad quæstiones Augustini duas priores. De tertia, quam *Chemnitius* ordine secundam proposuit, ita scribit: *Sanctum Patrem de aliquo dubitasse, quod modo ponitur extra dubium necessario dicendum est*. Quando enim ait Baptismum minimè & ludicrè collatum, vel ita intelligebat, ut procul inde esset non solum intentio de effectu Sacramenti, sed etiam intentio id faciendi, quod facit Ecclesia; vel ita, ut hæc intentio secunda excluderetur minimè. Si de hoc secundo dubitavit, jam modò constat, satis esse hanc intentionem id faciendi, quod facit Ecclesia, ad valorem Baptismi. Si autem de primo fuit dubiũ, item modò certum est inter Catholicos, (*Romanenses*) Baptismum exclusã quâlibet intentione non esse validum. Profectò, ex verbis Augustini patet, omnem & quamcunq; tunc intentionem excludi; siquidem si adesset intentio id ferè faciendi, quod facit ecclesia, jam non totum, h. e. omni ex parte joculariter & ludicrè ageretur. Quis autè Augustino hanc dubitationem vertat vitio, nisi *Moraines*, parùm æquus Augustino, qui eas sancto Doctõri sententias adficiat, quarum oppositas sine dubio idem se tenere pronuntiat. Jure autem Augustinus judicium suspendit, eã præsertim tempestate, quã ob rebaptizationem Donatistarum, si quæcunque iteratio Baptismi per ludum dati fuisset adferta, fideles rerum minus periti ac simplices longã viã à schismaticis rebaptizantibus in errorem trahi poterant, cui periculo cavit prudenter Augustinus. Ita post omnes alios, & in primis *Vasquezium*, subtilissimum aliàs ut plerisque videtur Mentis Augustinianæ interpretem, sensa Doctõri sancti indagasse & simul penetrasse videri voluit *Norisius*, exceptus, ut in plerisque omnibus, malè à perpetuo & jurato hoste *Neusero*, qui rejectã expositione *Norisiã*, per quam simulatio Baptismatis, de quã agit Augustinus, esse dicitur infidelitas, *Vasquezianam* reproducit, vocabulo simulationis negationem intentionis id faciendi, quod Ecclesia facit, intelligentem, contra objectionem *Norisi*, quasi sententia Augustini sic intellecta contrarietur Synodorũ Florentinæ & Tridentinæ decretis, nihil aliud habens, quod respondeat, quàm *Augustini tempore rem hanc nondum fuisse definitam*, his expressè subjectis: *Nihil obest, Augustinum eo tempore ita sensisse*; præsertim, cum perinde sit, an dere, quam postea definivit Ecclesia, dubitãrit, an verò secus senserit? *Deinde*, nihil facit validitatem Baptismi, si ve in Ecclesia, si ve extra Ecclesiam conferatur, in quo tamen Augustinus agnoscit discrimen. *Denique*, vellem, ut mihi indicaretur, quænam essent illa Majorum statuta quorum meminit Augustinus hoc loco? *Tandem post plura*, quod Augustinus Baptismum, ubicunque & à quibuscunque Verbis evangelicis consecratum, id est, cum debitã formã, sine simulatione, & cum Fide, sed charitate minimè formatã susceptum, validum esse quidem, sed ad salutem spiritualem, id est, ad justificationem non prodesset ibidem adferit, veritati consentaneum non est; nec enim actus charitatis ad

Prodr. Vc.
lit. pag. 3.
c. 10. §. 7.
pag. 214.
& seq.

effectum Baptismi percipiendum in adultis est necessarius. Si contra Vindicem Augustinianum *Neuserus*. In utriusque Discursu essent, de quibus Lector moneri posset, & fortè deberet, nisi ex ante dictis cum iudicio discernendum videretur non adeò difficile, quidquid ad Veritatis Evangelicæ testimonium exinde referendum est. Paucis & vel tribus, ut ajunt, verbis, etsi omnes ferè hanc Augustini sententiam explicare conati, ut plurimum contra sancti Doctoris accuratè distinguentis mentè, confundunt intentionem conferentis Baptismum cum intentione eundem suscipientis, quod fieri non debebat, cum de utràque non indifferenter sit judicandum; neq; tamen *Vasquezii* explicatio à *Neusero* ad defendendum readsumta, neque etiam nova *Norisi* inventio de exclusionè Fidei seu credulitatis vel existimationis da re & effectu Sacramenti, evangelicorum sententiæ quidquam præjudicii creat aut periculi infert, sed utraque potius non parùm confirmat. De *Vasqueziana* per se patet ad oculum, ac suprà jam id indicatum fuit. Sed & *Norisi* eorum concurrunt; qui quamvis valde diversa patet, intentionem faciendi, quod facit Ecclesia, & existimationem de fructu Sacramenti, si tamen rem accuratius ponderasset, prout fas erat atque justum, facile potuisset observare, ubi hæc posterior deest, de priori non magnam adeò spem esse faciendam, quod quivis aliquali præditus ingenio videt. Grati de cætero acceptant Evangelici ingenuam *Neuseri* confessionem, Augustini tanquam Testis Evangelicini hoc etiam puncto, uti in pluribus aliis, consensum ultrò largientis. Desinant igitur nobis posthac Romanenses objicere auctoritatem Augustini, utpote à Patribus Tridentinis rejectam.

LIBRI SECUNDI,

De

SACRAMENTIS IN GENERE,

CAPUT PRIMUM, SEPTIMUM, & DECIMUM,

De

Efficiã Sacramentorum ex opere operato.

vid. D.
Hutteri
Locor.
Theol. p.
615.

OMnem ferè statûs & cultûs Papistici rationem in hac doctrinâ de opere, quod barbarè & nove contra styllum orthodoxæ Antiquitatis vocant, *operato*, à Scholasticis Doctoribus tanto hæctenus opere commendata, quamvis non uno eodemque modo explicata, & nihilo tamen minus per Synodi Tridentinæ decretum stabilitam esse, facile agnosceret & fatebitur, cui datum est atque concessum, arcana ejus singulari studio penetrare. Remoto certe hoc opere *operato*, etiam ad eorum sensum intellecto, qui Scholasticorum non adeò subtiles, sed nimis crallos de eo conceptus aliqua ratione student emollire & pro viribus mitigare, maximam, si non omnem plane cultûs publici molem cadere est necessum, quo è contrario aliquatenus adhuc stante stat res Ecclesiæ publicæ Romanorum. Mirum hinc non immeritò videtur, esse & vivere inter Evangelicos, quibus præ nimio Pacis & inter partes vix unquam componendos præpostera reconciliationis studio, hie loquendi modus in libro *Augustinæ Confessionis* Symbolico expressè rejectus placet, & cuius usum non planè nullum in re Sacramentaria ad sensum & mentem Analogiæ Fidei ac orthodoxæ Veritatis esse, sibi met ipsis & simul aliis, utut frustra persuadere conantur. Nos jam missis eorum syncreticis incrustationibus, rectè ex instituto ad Bellarminum, & eo duce ad Augustinum convertimur, visuri, quæ ejus de opere hoc operato fuerit sententia, & num hæc doctrina (phrasin namque cum ignorasse, ejus defensores ultrò agnoscunt & fatentur) ipsi fuerit cognita aque eo defensa, Bellarminus certe, ut hoc obtineat, tribus rem modis adgreditur, triplici demonstrationis genere usus; quo iterum successu, examen docebit. *Primum* sequentibus etiam proximioribus exhibet verbis, quæ ad ejus de hac phrasi mentem penitus intelligendam omninò adscribi debent. *Vt intelligamus, quid sit opus operatum, notandum est, in justificatione, quam recipit aliquis, dum percipit Sacramenta, multa concurrere, nemirum, ex parte DEI, voluntatem utendi illà re sensibili; ex parte Christi, passionem ejus; ex parte Ministrorum, potestatem, voluntatem, probitatem; ex parte suscipientis, voluntatem, Fidem & penitentiam; denique ex parte Sacramenti, ipsam actionem externam, quæ consurgit ex adplicatione debitæ formæ & materiæ. Cæterum ex his omnibus id, quod activè & proximè atque instrumentaliter efficitur gratiam*

vid. D.
Krom. in
in Locis
Anti Sync.
p. 222.

gratiam justificantem est sola illa actio externa, quae Sacramentum dicitur, & haec vocatur opus operatum, accipiendo passivè, ita ut idem sit, Sacramentum conferre gratiam ex opere operato, quod, conferre gratiam ex vi ipsius actionis Sacramentalis à DEO ad hoc instituta, non ex merito agentis vel suscipientis, quod Augustinus illis expressit verbis: Ipsum per seipsum Sacramentum multum valet. Nam voluntas DEI, quae Sacramento utitur, concurrat quidem activè, sed est causa principalis. Passio Christi concurrat, sed est causa meritoria, non autem effectiva, cum non sit actu, sed praeterierit, licet in mente DEI maneat objectivè. Potestas & voluntas Ministri concurrunt necessario, sed sunt causa remota, requiruntur enim ad efficiendam actionem ipsam Sacramentalem, quae postea operatur immediatè. Probitas ministri requiritur, ut ipse Minister non peccet Sacramento non tamen ipsa est causa gratiae in suscipiente, nec jurat suscipientem per modum Sacramenti, sed solum per modum impetrationis & exempli. Voluntas, Fides & poenitentia in suscipiente adulto requiruntur necessario, ut dispositiones ex parte subjecti, non ut causa activae, non enim Fides & poenitentia efficiunt gratiam Sacramentalem, neque dant efficaciam Sacramenti, sed solum tollunt obstacula, quae impedirent, ne Sacramenta suam exercere possent efficaciam, unde in pueris, ubi non requiritur dispositio, fit sine his rebus justificatio. Multum sine dubio fudavit Bellarminus & alii, usque dum rem hanc à Scholasticis anterioribus quam-maximè intricatam ad suam mentem & sententiam extricavit, adque liquidum reduxit, si modò id praestitit, quod ante & post omnes alios praestitisse voluit videri. Sunt autem, quod omnino notandum in his Bellarmini vobis bona malis mixta, & versâ vice bonis mala. Rectè dixit & scripsit Bellarminus, Sacramenta gratiam conferre non ex merito agentis vel suscipientis, id quod Augustinum verbis à se laudatis testatum esse voluit, de quibus post. Neque id Evangelicis potuit aut debuit opponi, qui Sacramentorum virtutem & efficaciam, non ex Ministri operantis, aut hominis illud suscipientis, dignitate ac merito, attentione & devoto erga illud adfectu aestimari, sed ex Authoris DEI institutione, potentia & gratiosa operatione in solidum dependere statuerunt. Minus autem rectè & orthodoxè voluntatem, fidem & poenitentiam quasi dispositiones ad gratiam Justificationis in Sacramentorum usû accipiendam praevas requisivit, neque id ullibi docuit Augustinus, ut suo tempore & loco uberius demonstrabitur; Evangelicis fidem in specie quidem ad Sacramenti usum requirentibus, sed non quasi virtutem & efficaciam Sacramenti in se pendeat ex Fide nostrâ, sed quia Fides ex instituto DEI organon est & instrumentum salutare, per quod Beneficiorum, quae in Sacramentis liberali & benignâ DEI manu obferuntur, participes reddimur, Fide tanquam manu opis divinae indigâ & verè mendicâ amplectimur, ac per eam ipsa suam in nobis efficaciam operantur Sacramenta. Quae de pueris & infantibus, quod sine fide per Sacramenta justificentur, Bellarminus subiungit, quia suum infra locum illa habebit quaestio, eorum quoque reservantur. Nunc id insuper adhuc notandum venit, quod, etsi Bellarminus contra veteres Scholasticos videatur in defendendâ Sacramentorum efficaciam ex opere operato non excludere fidem, sed includere, pro calumniâ habens & mendacio, si aliter de sententiâ Papistarum judicetur; aliâ tamen id ratione fiat, quam ut Evangelicos ad consensum pertrahere possit. Ut enim non repetam, quod modò animadversum, fidem ab eo non considerari ut organon, beneficia Sacramentalia adprehendens, sed inter dispositiones praevas tantum numerari, obstacula efficaciam Sacramentorum impediencia removens; illud praesertim venit observandum, quod infra itidem in sede propria uberius monebitur, Bellarminum & Papaeos in communi scriptores fidem per notitiam modò & qualemcunque ad sensum describentes huic rei satis omnino non facere, ubi ipsa salutaris fiducia & fiducialis beneficiorum in Sacramentis à Deo gratiosè oblatorum adprehensio requiritur, ut Sacramenta in se efficaciam utentibus etiam sint salutaria. Dictum Augustini à Bellarmino in descriptione operis operati laudatum penitus & accuratè conspectum ostendit, Bellarminum, nescio, an singulari studio, an laudatâ minus in observatione, iterum in foro contradictionis versari. Dum enim pro efficaciam Sacramentorum in genere ex opere operato pugnat, hâc imprimis Augustini autoritate munitus, quae, ut integer contextus statim plenè adscribendus habet, de Sacramento Circumcisionis in Veteri Testamento agit; & Bellarminus in sequenti Controversiâ de Differentiâ Sacramentorum Veteris & Novae Legis expressè scripsit, omnes Catholicos convenire, Sacramenta Veteris Testamenti & Legis, quae Mosâica proprie dicuntur, quibus circumcisio adnumeratur, non contulisse gratiam ex opere operato, hanc sententiam

Lib. 4. de
Bapt. cap.
24.

tiam ex Divinis literis, Patrum scriptis, rationibus etiam in scriptura fundatis, quia & solutione objectionum in contrarium adduci solitorum prolixissime conatus demonstrare, eometipso manifestam incurrit contradictionem, nullo plane modo conciliabilem vel conciliandam. Quamvis nec Circumcisionis Sacramento in se spectato Augustinus efficaciam ex solo opere operato, exclusa Fide, non historica, sed saluifica & fiduciali bonorum in hoc Sacramento oblatorum adprehensione, his adscripserit verbis, quæ cum antecedentibus & ad capiendum augusti Patris sensum quam-maximè pertinentibus loco per Bellarminum citato ita leguntur: *Veraciter conijcere possumus, quid valeat in parvulis Sacramentum Baptismi, ex circumcissione Carnis, quam prior accepit populus, quam prius, quam acciperet, justificatus est Abraham, sicut Cornelius etiam dono Spiritus Sancti prius quam baptizaretur, ditatus (aliàs, donatus) est. Dicit tamen Apostolus de ipso Abraham, signaculum Fidei Iustitiæ, quia jam corde crediderat, & deputatum illi erat ad Iustitiam. Cur ergo ei præceptum est, ut omnem denique masculum octavo die circumcideret, qui corde nondum poterat credere, ut ei deputaretur ad Iustitiam, nisi quia & ipsum per se ipsum Sacramentum multum valebat, quod in Filio Moysi per Angelum est manifestatum, qui cum adhuc in circumcissione à Mare ferretur, præsentis & evidenti periculo, ut circumcideretur, exactum est, & cum factum esset, depulsa est pernicies. Sicut ergo in Abraham præcessit Fidei Iustitiæ, & accessit Circumcissio, signaculum Fidei Iustitiæ; ita in Cornelio præcessit sanctificatio spiritualis in dono Spiritus Sancti, & accessit Sacramentum regenerationis in lavacro Baptismi. Et sicut in Isaac, qui octavo suæ Nativitatis die est circumcissus, præcessit signaculum Iustitiæ fidei, & quoniam Patris fidem est imitatus, secuta est ipsa in crescente Iustitiæ cujus signaculum in Infante præcesserat; ita & in baptizatis infantibus præcedit regenerationis Sacramentum, & si Christianam tenuerint pietatem, sequitur etiam in corde conversio, cujus mysterium præcessit in corpore. Videtur quidem infantibus hic denegare fidem Augustinus, sicut in aliis pluribus locis; & hinc statueret, Baptismum iis collatum habere efficaciam ex opere operato, eum videlicet in modum, qui in Veteri Testamento Sacramentum Circumcisionis in octiduanis infantibus fuit Signaculum Iustitiæ Fidei; dum è contrario in Abrahamo præcessit Iustitiæ Fidei, sicut in Cornelio sanctificatio spiritualis per oblatum Spiritus Sancti donum, antequàm & ille iussu DEI circumcideretur, & hic baptizaretur. Atqui hæc adultorum & infantum sive circumcisorum, sive baptizatorum differentia, quam & Evangelici suo quodam modo cum Augustino attendunt, non cogit, ut vel Baptismum vel Sacramentum Circumcisionis suam habere & habuisse efficaciam in Infantibus ex solo opere operato, ac Infantes baptizatos & ex DEI mandato circumcisos in illo statu gratiæ, quam per usum Sacramenti acceperunt, Fidem non habuisse ex Augustini sententiâ statuendum sit; cum si mentem ejus ritè attendamus, id quod debito infra loco amplius è collatione plurium testimoniorum demonstrabitur, sanctus Pater non tam baptizatis, vel circumcissis, quàm baptizandis adhuc vel circumcidendis Fidem denegarit, eam ante Circumcisionem & Baptismum Abrahamo & Cornelio adscribens, id quod inde præprimis constat, dum Sacramentum Circumcisionis, absque respectu & non attentâ inter adultos & infantes differentia, Apostolo præeunte dixit Signaculum Fidei Iustitiæ, ad quem modum ubi Baptismum esse dixit Sacramentum Fidei, sive adultis, sive infantibus conferatur, in illis Fidem ex auditu Verbi accensam obsignans & confirmans, his autem conferens primùm & in corde accendens, modo nobis hominibus imperferutabili. Et hoc sufficere potest ad primum genus demonstrationis ex Augustino, quo Bellarminus pro efficacia Sacramentorum ex opere operato militavit.*

Secundum nunc sequitur, in quo etiam pleraque contra Calvinianos, virtutem Sacramentis tantum adscribentes signativam & significativam, producta videantur argumenta, Evangelicorum sententiam non oppugnantia; quia tamen expressè Lemma præscripsit Bellarminus, *quod Sacramenta ex opere operato conferant gratiam*, ea examinari opus est loca, quibus ex Augustino ad illud demonstrandum usus est, ut lectori porò constet, an operis operati signum, si non in verbis, in sensu tamen venerit ei unquam in mentem. Tria autem sunt loca, quibus id evincere se posse existimat Bellarminus. Primus hic est: *Invenio, non tantum passionem pro nomine Christi, id, quod ex Baptismo deerat, posse supplere, sed Fidem etiam cor dis- que conversionem, si fortè ad celebrandum Baptismi mysterium in augustis temporibus currere non potest.* Addit de suo Bellarminus, *Si ergo Martyrium aliquando, aliquando*

Lib. 4. de
Bapt. cap.
22.

Fides

Fides cum cordis conversione supplet Baptismi vicem, manifestè sequitur, non justificare Fidem excitando, sed immediatè Christi merita adplicando ac immediatè justificando. Et post repetitionem illius testimonii, quod demonstrationis primum genus proximè exhibuit, quo Augustinum probasse scribit, *Sacramentum Baptismi multum parvulis prodesse etiamsi Fide careant, ex Circumcisione, quæ octavo dabatur die; & docuisse, Sacramentum non operari excitando Fidem, sed vi suâ efficiendo,* Secundum producit locum hoc verborum tenore: *Sacramentorum vis inenarrabiliter valet plurimum, & ideo contempta sacrilegos facit; impiè quippe contemnitur, sine quâ non potest perfici Pietas.* Bellarminus hæc subiungit: *Si tantum excitarent Fidem objectivè, non modo non inenarrabiliter valerent plurimum, sed vix aliquid valerent.* Nam de Concione nemo dicere, eam inenarrabiliter plurimum valere, cum multis sæpissimè Concionibus vix aliqui moveantur; & tamen fatetur Lutherus in libro contra Johannem Cochleum, multò efficacior esse Concione Baptismo, quod verissimum est, si agatur de efficacia Fidem provocandi. Tertius super adhuc & locus: *Vndè tanta virtus Aquæ, ut corpus tangat, & cor abluat?* Et infra: *Mundatio nequaquam fluxo & labili tribueretur elemento, nisi adderetur in Verbo.* Sed nullus ex his Augustini locis quidquam ad efficaciam

Lib. 19.
contra
Faustum
cap. 2.

Sacramentorum ex solo opere operato demonstrandam confert. Non primus, ut potè de statu & casu necessitatis agens, in quo Fidem solam, sed veram & vivam, ipsam videlicet Fiduciam, & fiducialem gratiæ DEI ex Verbo promissionis & simul etiam benevolæ beneficiorum oblationis adprehensionem sufficere absque Sacramento docet, latronis in cruce conversi exemplo verum id esse testatus. Dum verò Bellarminus sequi inde putat, *non justificare Sacramenta Fidem excitando; sed immediatè Christi Merita adplicando, ac immediatè justificando;* præter & contra Augustini mentem opponit non opponenda, idque in actu Baptismi excludit, quoad vi propriæ hypotheseos quam maximè includi debet. Si enim Baptismus hominem justificat, & Apostolus hominem per Fidem justificari docet, id quod infra ex Augustino demonstrabitur, quæ, quælo, ratione Fides, medium videlicet & instrumentum, per quod homo gratiam Justificationis, quasi manu extensa à benigna DEI justificantis manu accipit, abesse posset? Et si ex sententiâ Bellarmini Sacramentum Baptismi hominem justificat, *Christi merita adplicando,* & immediate quidem, seclusis nimirum operibus, neque attentis dispositionibus præviis, quas Papæi Doctores in antecessum ab homine justificando prærequirunt, ut de aliis hic intercurrentibus jam non dicam; necessum omnino est adesse Fidem, per quam ex Instituto DEI merita Christi adplicantur, & sine quâ Fide Christi merita, ut in se pretii & valoris infiniti, nemini etiam baptizato profunt vel adplicantur. Quam illi testimonio, quod in primo demonstrationis genere etiam occurrit, Bellarminus adficavit glossam, jam est ostensum, provenire eam ex non intellectâ Augustini mente, non baptizatis jam, sed adhuc baptizandis infantibus Fidem salvificam denegantis, interque statum adultorum & infantum accuratissimè distinguentis, quod ab eo itidem in descriptione Sacramenti Circumcisionis tempore Veteris Testamenti est observatum. Estque è diametro Doctrinæ Augustini contrarium, quod Bellarminus ex laudato Augustini testimonio perperam, ut dixi, intellecto sequi putat, docuisse eum, *Sacramenta non operari Fidem excitando, sed vi suâ efficiendo,* gratiam videlicet Justificationis; cum tamen, ut itidem supra monui, Sacramentum Circumcisionis non semel dixerit *Signaculum Infitiæ Fidei,* quo autem modo illud, nisi Fidem simul conferat, per quam Justitia impetratur, & per ipsum Sacramenti usum & actum obsignatur, accersitur proximè aliis ex eodem testimonio, quibus etiam Baptismus expressè *Sacramentum Fidei* dicitur, quod elogium Baptismi Sacramento non competeret, si Fidem in Infantibus non accenderet, in adultis verò augmenta non conferret & obsignaret.

Tract. 80.
in Joh.

Neque secundus ex Augustino locus à Bellarmino laudatus quidquam prodest, ut efficacia Sacramentorum ex solo opere operato, exclusa Fide beneficia adprehendente, demonstraretur; fallaciterque & pro more satis perversè egit, inque ipsam simul Fidei analogiam impexit, hanc ex eo & non sufficienter expressâ Evangelicorum circa Sacramentorum efficaciam mente nectens consequentiam, omnino inconsequentem: *Si tantum excitarent Sacramenta Fidem objectivè, non modo non inenarrabiliter valerent plurimum, sed vix aliquid valerent.* Ubi enim Bellarminus legit hanc Evangelicorum, (contra quos hic eum agere patet inde, quia Fidem à Sacramentis quoad eorum efficaciam & usum salutarem excludit, quam illi quam maximè includunt, & per Sacramenta conferri & obsignari doceat) sententiam, *Sacramenta tantum excitare*

Fidem objectivè, quam tamen non aliter, nec alium in finem ea conferre statuit, nisi quatenus ex instituto DEI medium & Fides, per quam homo salutariter utens Sacramentis ea accipit & sibi applicat beneficia, quæ Deus per Sacramenta confert & obfignat. Et pro non planè nullo contentu ac vili nimis æstimo Fidei habendum est, quod, posito, si Sacramenta *tantum* excitarent Fidem objectivè, non modò non innarrabiliter plurimum, *sed vix aliquid valerent*, iudicio Bellarmini, hominis Fide vetà & salvificà indignissimi. Quid enim? An vix aliquid valere Fides objectivè considerata à Theologo dici debet, cui in sacris utriusque Testamenti literis tanta adscribuntur prædicata, & inter omnia illud quam-maximè dignum notatu, quod fides, objectivam nimirum, *imputetur ad justitiam*, ea videlicet Fides, quæ gratiam DEI Patris, ex omni respectu non nisi merè gratuitam, Meritum Christi omni ex parte sufficientissimum & valore infinitum, indeque provenientia & largiter profluentia Spiritus Sancti dona & bona amplectitur? Tale quid Bellarminum de fide ausum scribere, non immeritò mirantur, quicumque Fidei ex instituto DEI magnitudinem & pretium æstimare sacrâ duce scripturâ didicerunt. Æque leviter & inconsideratè scriptum est, quod in comparatione verbi visibilis & audibilis, verbi nimirum Sacramentalis & Concionalis vel prædicatorii, de hoc effutiit, illud non inenarrabiliter plurimum valere, *quia multis sæpe Concionibus vix aliquid moveantur*; ut ut statim sibimet in hoc ipso contradicens & scribens, dum verè Lutherum scripsisse debuit agnoscere, *multò efficacior em esse*, non absolutè, sed certo quodam respectu, *Concionem Baptismi, si nimirum agatur de efficacitate Fidem promovendi*, quo dum ea, quæ imprudenter in anterioribus scripsit, aliquatenus corrigere videtur voluisse, labore ulterioris Censuræ me sublevavit. Sed & verius Augustini locus à Bellarmino pro Sacramentorum efficacità ex opere operato frustra producitur, ut supra jam in prolixo ejus examine fuit ostensum, & proximè, ubi solutiones objectionum ex pluribus Augustini testimoniis ponderabuntur, iteratò demonstrabitur. Ut enim Bellarminus suo satis videatur facere officio, sex diversa ex Augustino testimonia examinat, quæ contra efficaciam Sacramentorum ex opere operato loquentur commendari.

Primum est, quo Augustinum docuisse, *non Sacramentum, sed Fidem Sacramenti justificare*, Lutherum & Melanthonem scribere, sine tamen loci mentione, monet Bellarminus, de suo addens, *nihil ejusmodi Augustinum verbis dicere expressis, sed potius contrarium*, videlicet, *parvulos esse fideles & salvari, si moriantur post Baptismum, quia, etiamsi non habeant Fidem, habeant tamen Fidei Sacramentum*, quod idem sit, ac si diceret, *parvulos non salvare Fidem, sed Fidei Sacramentum*. Subjungit, *Fortasse Lutherus (& Melanthon) hanc Augustini sententiam collegit ex iis verbis*, quibus alibi docuit, *Quia Baptismi mundari, id faciente verbo, non quia dicitur, sed quia creditur*. Sed, respondet Bellarminus, *suprà jam ostendimus, nimirum in questione de formâ Sacramenti illud*, quia creditur, *non significare actum fidei, sed objectum*. Monet autem porro, quod si *inveniret alibi disertis hæc sententia verbis, sine dubio exponenda esset pro eo tempore solo, quo quis non potest habere Sacramentum; in ejusmodi enim necessitate sufficit fides Sacramenti cum vero ejusdem*, ut alibi dicit Augustinus, *sicut etiam è contrario in parvulis, qui non possunt actualem habere fidem, sufficit Fidei Sacramentum*. Ad hoc triplex responsum Bellarminum tria veniunt observanda, iisque in genere præmittendum, dum Lutherus & Melanthon Augustino hanc adscripserunt sententiam, *non Sacramentum, sed fidem Sacramenti justificare*, eam efficaciam Sacramentorum ex opere operato juxta Papisticam explicationem opposites, nihil aliud eos extra omne dubium respexisse, quam sæpius occurrentem in scriptis Augustini formulam loquendi, quæ Baptismum in specie non semel dicit *Fidei Sacramentum*, ea de causâ hoc elogio ornatum, quia non tam ipse actus Sacramentalis externus, quàm ipsa Fides Sacramenti, per Sacramenti collationem in corde baptizati accensa, & qua DEI dona & bona acceptantur, in salutari usu Sacramenti respicitur & requiritur. Et hinc contra Bellarminum primò notari debet, fallere eum & falli quam plurimum, Augustino contrariam huic adscribendo sententiam, imò mentem ejus non parùm invertendo. Dum enim sanctus Pater de infantibus baptizatis & post Baptismum morientibus scribit, *eos, etiamsi non habeant fidem, habere tamen fidei Sacramentum*, non idem est, quod Bellarminus vult, ac si diceret, *Parvulos non salvare fidem, sed fidei Sacramentum*. Id ut ostendam, non ipsam nunc tractabo de fide infantum baptizatorum ex Augustini sententiâ quæstionem, suo infra loco exhibendam; sed ex eorum Augustini Epistolâ, unde Bellarminus contra Lutherum & Melanthonem armanutò sumit quædam lectori exhibebo, ut videat, Bellarminum Augustini mentem & sententiam omninò pervertisse. Ita autem ibi Doctor augustissimus: *Sicut secundum quædam*

Epist. 23. ad Bonifac.

Tract. 80. in Joh.

Lib. IV. de Bapt. c. 22.

Conf. D. Carpov. Isag. in libr. Symb. pag. 415.

dum modum Sacramentum corporis Christi est corpus Christi, Sacramentum sanguinis Christi est sanguis Christi, ita & Sacramentum fidei est fides. Nihil est autem aliud credere, quam habere fidem; ac per hoc, cum respondetur parvulus credere, qui fidei nondum habet adfectum (in vindiciis Evangelico-Thomisticis conjecturam his adpositi verbis, suspicatus, forte legendum esse, effectum, neque adhuc tuto sententiam) respondetur, fidem habere propter fidei Sacramentum, & convertere se ad Deum propter conversionis Sacramentum, quia & ipsa responsio pertinet ad celebrationem Baptismi. Et post aliqua: Itaque parvulum, etsi nondum fides illa, quæ in credenti voluntate consistit, jam tamen ipsius fidei Sacramentum facit fidelem. Nam sicut credere, respondetur, ita etiam fidelis vocatur, non rem ipsa mente annuendo, sed ipsius rei Sacramentum percipiendo. Potuissetne sanctus Pater suam mentem clarius exponere, fallamq; Bellarminiglossam manifestius evertere, quam dum ipsum Fidei Sacramentum esse scripsit Fidem, dum credere dixit nihil aliud esse, quam habere Fidem, dum infantem baptizatum habere Fidem, adeoque & credere docuit propter ipsum Fidei Sacramentum, eumque se ad Deum convertere propter ipsum Conversionis Sacramentum, quod Conversionis opus Fide & credendi acta priore, est solem in mundo tollere, perpetuasque orbi universo inferre tenebras? Secundo accedit notatum dignum, quod si Lutherus & Melanthon in ejus dicti commendatione, quod Augustinum, non Sacramentum, sed fidem Sacramenti justificare scripserunt docuisse, ad ea respexerunt Augustini Doctoris verba, quibus aqua Baptismi cor hominis mundari statuit, id faciente verbo, non quia dicitur, sed quia creditur, non sine causa & ratione certum id factum esse. Quod vero hic etiam Bellarminus, sicut supra, non fidei actum, sed objectum intellexisse sanctum Patrem putat, in eo iterum mali interpretis officio est functus. Anne enim putandum est, eum in Baptismi susceptione ipsum fidei actum, id est, beneficiorum in baptismo collatorum susceptionem & applicationem exclusisse, qui baptismum tam aperte totiesque vicibus iteratis Fidei Sacramentum dixit, non aliam ob causam, ut sæpe hætenus dictum, quam quia per id Fides infanti confertur, quasi medium & organon, quo gratiam fœderis Divini cum omnibus ad eam pertinentibus, sicut mendicus extensa manu Eleemosynam, apprehendit? Sit ita, agnovit Augustinus aliquam in modo & gradibus Fidei inter adultos & infantes differentiam, quam nec Evangelici omnino diffidentur; ipsum tamen actum Fidei, vi propriarum hypothesen, infantibus in baptismi susceptione denegare non potuit, Fidem tantum objectivam, sive solum Fidei objectum respiciens, in quod nisi ipsa Fides actu feratur, Fides erit nulla, ipsum quoque objectum, etsi valoris maximi nullius erit usus, sicut pretiosissimus etiam cibis famelico nihil proderit ante oculos expositus, nisi usu ejus famem sedare, inque succum possit convertere & sanguinem. Et mirum omnino videri debet, quod, cum paulo ante Bellarminus ex Evangelicorum sententia, quamvis non rite perceptam & expressam, Sacramenta tantum objective fidem excitare, hanc nexuerit consequentiam, Sacramenta vix aliquid valere, quæ tamen inenarrabiliter plurimum valere scripsit Augustinus; nunc Bellarminus tam citò sui, & eorum, quæ in eodem argumento non diu ante scripserat, oblitus & immemor, Augustino ausus fuerit imponere, quod in Sacramento baptismi, quod toties Sacramentum fidei, imò ipsam dixit Fidem, videlicet, ob gratiam Fidei in baptismo collationem, non actum Fidei, id est, beneficiorum in hoc Sacramento collatorum applicationem, sed objectum modo, absconditum quasi thesaurum, attendi debere statuerit, quod à mente sancti Patris est quàm alienissimum, & simul quoque absurdissimum, qui, ut in laudatâ ad Bonifacium Epistolâ, productisque ex eâ verbis agnovit & falsus est, parvulum non eâ fide, quæ in credentium (adultorum) voluntate consistit, fidelem esse, notanter tamen addidit, ipsius fidei Sacramentum facere eum fidelem, quod hætenus esse potest satis, donec uberius hoc argumentum in sequentibus proximè tractetur. Nunc tertio illud in Bellarmini ad primum Augustini testimonium responso insuper noto, quod sancti Doctoris verba, non Sacramentum, sed fidem Sacramenti justificare, si alicubi, prout jacent, in ejus scriptis invenirentur, sine dubio exponenda esse putat pro eo tempore solo, quo quis non possit habere Sacramentum, utpotè in quâ necessitate sufficiat fides Sacramenti cum Voto. Atqui si structura Verborum, quæ cum aliis Augustini in hoc argumento scriptis conveniunt, attendatur, non ipsius Sacramenti usus defectui ejusdem in casu necessitatis opponitur, sed ostenditur potius, quid in ipso Sacramento usu ex parte hominis illud suscipientis ante omnia sit respiciendum, videlicet, non ritus exterior, paucis quibusdam circumstantiis munitus, sed ipsa Sacramenti Fides, quæ beneficia per Sacramentum collata suscipiuntur, quo respectu Bapti-

imum inprimis *Fidei Sacramentum* rectè dici, ex Augustino hæcenus orthodoxè didicimus.

Quæst. v.
& N. T.
qu. 59.

Succedat jam *secundum* ex eo contra efficaciam Sacramentorum ex opere operato testimonium, ad quod Bellarminus respondere studet, Sequentia id exhibet verba: *Qui Baptismum putat ratione carnali consistere, hic non est spiritualis; nec donum caeleste poterit consequi, qui se per Aquam, non per Fidem commutari credit.* Duo ad hæc reponit Bellarminus. Dicit *primò*, librum hunc non esse Augustini, sed alicujus hæretici, qui multa doceat & contra Fidem & contra Augustinum. *Demùm*, Testimonium hoc non esse contra opus operatum, sed pro opere operato. Nam Authorem ejus non loqui de causâ formali, nec de efficiente Justificationis; ac dicere, hominem immutari & renovari non per externam lotionem, quasi Baptismus noster nihil sit, nisi carnis mundatio, ut olim baptisimata Judæorum; sed per Fidem, quæ cum est perfecta & viva, formaliter mandat & justificat. Et hanc Fidem, id est, formalem Justificationem dari in Baptismo, Authorem hunc dicere his verbis: *Aqua cernitur, sed, qui non videtur, spiritus operatur, ut Fides in ipso sit.* Ubi non potest loqui, inquit Bellarminus, de Fide imperfectâ & inchoatâ, quæ secundum nos disponit ad Justificationem, & quæ secundum Lutheranos adprehendit Justificationem; ita enim præcedere debet Baptismum. *Igitur de fide perfecta loquitur, quæ infunditur in Baptismo, & quæ justificat formaliter.* In genere iterum hic observo, non laudare Bellarminum nominatenus scriptorem Evangelicum, qui hoc Augustini testimonio in præsentî materiâ usus sit. In specie, exceptionem Bellarmini contra valorem & auctoritatem ejus, quasi Augustinum Patrem non agnoscentis, fortè aliquem habere locum posse, nisi, quod & supra ex occasione notatum, præter alios scriptores Papæos, ipse etiam Bellarminus hoc Authorem sub Augustini nomine fuisset usus, & quidem in argumento satis gravi, nimirum de Petri primatu agens, ubi hunc quoque Authorem inter eos viginti & quatuor Patres recensuit, quos totidem Scinoribus Apocalypticis comparavit, *Escobario* in libro Theologiæ Moralis celebrato, horum loco totidem scriptores suæ Societatis, id est, Ignatianæ, non sine orbis vere Catholici scandalo impudenter succenturiante. Quia autem nihilo minus & hoc non obstante, ob causâ, scilicet: bonitatem, Bellarminus ad hoc testimonium respondere conatus est, videamus, quid bonarum vel malarum attulerit mercium. Dicit, *non destruere illud efficaciam Sacramentorum ex opere operato, sed potius adstruere.* Quo autem modo? *Quia Author hic inquit, non de causa Justificationis efficiente vel formali, neq; etiam de externâ lotionem agit, sed de fide perfecta & vivâ, quæ formaliter mandat & justificat.* At qui, iterum ad hominem disputo, si in hoc Augustini, vel quicumq; sub Augustini nomine latet Author, testimonio non agitur de causâ Justificationis formali, quo, Bellarmine, modo in proximè sequentibus intelligi debet, dum aperte scribis, Fidem, quam cum distinctione singulari dicis perfectam & vivam, ex ejusdem Authoris mente, formaliter in Sacramento Baptismi, de hoc enim agitur, hominem mundare & justificare: Si præterea id quod itidè ex hypothesi Bellarminianâ fluit, Fides perfecta & viva in Baptismo mandat & justificat, efficaciam Sacramenti non potest operi operato adscribi, quam excludere Fidem, supra ex descriptione operis operati Bellarminianâ, quæ solam actionem externam commendat, vidimus. Sed hæc & talia, ut contraria & sibi invicem opposita, fortè Bellarmino tanti non visa fuerunt, quæ vim responsi possent eludere. Adque hæc pertinet etiam, quod cum alia insuper ejusdem Authoris nomen Augustini præ se ferentis verba proximè sequentia, Evangelicorum sententiam contra opus operatum confirmantia adduxit Bellarminus, ea, vi etiam adhibita, contra mentem scriptoris ad suas aptare hypotheses studuerit, postulata nondum probata, nec unquam probanda ingenimans, simul quoq; Evangelicorum sententiam, more solito, sed minus laudato, turpiter pervertere conatus. Ibi, dum fidem imperfectam & inchoatam disponere dicit ad Justificationem, fidemq; perfectam & formaliter justificantem infundi docet in Baptismo, ex quibus neutrum Augustino, vel huic scriptori non pauca ex Augustino mutavit, hic quidem loci venit in mentem; hic autem, dum Evangelicos statuere scribit, quod hæc inchoata & imperfecta, quam fidei perfecta & viva in antecedentibus contradistinxit, adprehendat Justificationem, quod falsò iis imputari, suo infra loco demonstrabitur.

In Levit.
Quæst. 84.

Tertium nunc sequitur ex Augustino testimonium, quo sanctum Doctorem duo dicere & docere monet Bellarminus. *Primò*, Ministrum hominem solum præbere Sacramentum visibile, DEUM verò præbere invisibilem gratiam. *Secundo*, ita comparari hæc duo, ut in quibusdam si Sacramento sensibile sine gratiâ invisibili, ut in Simone Mago per Philippum baptizato, in quibusdam sine Sacramento visibili gratiam invisibilem, ut in latrone converso. *Bellarminus*
Respon.

respondet, duobus modis hominem ministrare Sacramenta, uno modo, faciendo, quod potest ex naturali sua virtute; alio autem modo, adplicando Sacramenta ut Instrumenta à Deo mota & elevata ad actionem faciendam supernaturalem. Primò, inquit, modo verè dicimus, hominem non justificare, sed solum corpus lavare, aut aliquid hujusmodi, & sic loquitur Augustinus. Alio autem modo itidem verè dicimus, hominè justificare, sed non actione alià, quàm illa, quàm Deus ipse utitur ad justificandum. *Ad secundum dico*, inquit porrò Bellauminus, illa posse separari, non quod Sacramentum sensibile non sit causa invisibilis gratiæ, sed quod impediri possit effectus per obicem vel indispositionem subjecti, & quod possit DEVS etiam sine Sacramento suam dare gratiam. Ut nullitas, ne dicam, nugacitas hujus responsi duplicis eò manifestior adpareat, opus est omninò, ut ipse Textus Augustini, quamvis aliquantò prolixior à Bellarmino ob id ipsum omisus, ut eò facilius in turbido piscari possit, huc adscribatur, qui loco per eum citato ita habet: *Advertendum est*, quoties dicit, ego Dominus, qui sanctifico eum, loqui de sacerdote, cum hoc Moysi etiam dixerit, & sanctificabis eum. Quomodo ergò & Moyses sanctificat & Dominus? Non enim Moyses pro Domino, sed Moyses visibilibus Sacramenti per suum Ministerium, Dominus autem invisibili gratià per Spiritum Sanctum, ubi totus est fructus invisibilium etiam Sacramentorum; nam sine istà sanctificatione invisibilis gratiæ visibilia Sacramenta quid profunt? Meritò autem quæritur, utrum ista etiam invisibilis sanctificatio sine visibilibus Sacramentis, quibus homo visibiliter sanctificatur, pariter nihil proficit: Quod utique absurdum est. Tolerabilius enim quisque dixerit, sine illis istam non esse, quàm si fuerit, non prodesse; cum in istà sit omnis utilitas eorum. Sed etiam hoc, quod sine illis ista esse non possit, quomodo rectè dicatur, intuendum est. Nihil quippe profuit Simoni Mago visibilis Baptismus, cui sanctificatio invisibilis defuit. Sed quibus ita invisibilis, quoniam adfuit, (etiam) profuit, visibilia quoque Sacramenta perceperant, similiter baptizati. Nec tamen Moyses, qui visibiliter sacerdotes sanctificabat, ubi fuerit ipse ipsis sacrificiis vel oleo sanctificatus, ostenditur; invisibiliter verò sanctificatum negare quis audeat, cujus tanta præminebat gratia. Hoc & de Johanne Baptista dici potest, prius enim baptizator, quam baptizatus adparuit; unde eum sanctificatum nequaquam negare possumus, id tamen in eo visibiliter factam non invenimus, antequam ad baptizandi veniret ministerium. Hoc & de Latrone illo, cui secum crucifixo Dominus ait, *Hodie mecum eris in Paradiso*, neque enim sine sanctificatione invisibili tantà felicitate donatus est. Proinde colligitur, invisibilem sanctificationem quibusdam adfuisse ac profuisse sine visibilibus Sacramentis, quæ pro diversitate temporum sunt mutata, ut alia tunc fuerint, & alia modò sint; visibilem verò sanctificationem, quæ per visibilia fiat Sacramenta, posse sine istà invisibili adesse, non posse autem sine ista prodesse. Nec tamen ideo Sacramentum visibile contemnendum est, nam contemptor ejus invisibiliter sanctificari nullo potest modo. Hinc est, quod Cornelius, & qui cum eo erant, cum jam invisibiliter infuso Spiritu Sancto adparerent sanctificati, baptizati sunt tamen; nec superflua est iudicata visibilis sanctificatio, quam invisibilis jam præcesserat. Lib. II. c. 55. Quamvis autem id, quod de Latrone non baptizato hic habet, in retractationibus correxerit Augustinus, magis credendum esse statuens, eum fuisse baptizatum; ipsi tamen propositæ quæstionis tractationi nihil detrahit, in quâ sanctus Pater ita aperte efficaciam Sacramentorum ex opere operato destruxit, ut mirum sit, ausum fuisse Bellarminum aliquid contra in medium producere, ne dicam, nugari. Ipse nimirum ex verborum claritate debuit agnoscere, Sacramentum visibile, id est, juxta Bellarmini descriptionem, externam in administratione Sacramenti actionem, & gratiam DEI invisibilem ita ad Augustini mentem separari, ut in quibusdam sit Sacramentum sensibile vel visibile sine gratiâ invisibili, in quibusdam verò sine Sacramento visibili gratiâ DEI invisibilis; & tamen ne res liquida maneat, sed aliquatenus obscuretur, diversas hominis Sacramenta ad normam divinitus præscriptam ministrantis actiones est commentus, quam distinctionem si nihil ad rem facere dicam, ulteriori non opus erit responso, nec quidquam pro efficaciâ Sacramentorum ex opere operato per eam obtinebitur, non attentâ nimirum quod salutarem Sacramenti usum externâ Ministri actione, quæ tamen ad ipsum necessaria & ex Instituto DEI Sacramentum, sed invisibili Spiritu Sancti operatione & internâ illuminatione, qua homo in ipsa Sacramenti susceptione per fidelem donorum & bonorum divinitus collatorum apprehensionem verè justificatur, sanctificatur, æque DEO in fedus gratiæ recipitur, in numerum filiorum adoptatur, Ecclesiæ militanti tanquam fidelem mem-

membrum inferitur, ac firmâ spe hæreditatis æternæ Christimorte & merito partæ erigitur. Sed & neque alterum Bellarmini responsum Augustini & Evangelicorum contra opus operatum sententiæ quidquam impediendi adfert. Et si enim illud rectè Calvinianorum opinioni opponatur, quod nimirum Sacramenta non nuda sint signa gratiæ DEI, sed & simul causæ & media, organa & instrumenta, per quæ DEUS intuitu & pro liberrimâ voluntate suâ ordinavit hominibus ordine hoc suo legitime utentibus suam dispensare gratiam; ut ut etiam non male dicatur, Sacramentorum salutarem effectum posse ab hominibus Sacramento non ritè utentibus per obicem positum impediri; tamen neque illud vim frangit argumenti contra efficaciam Sacramentorum ex opere operato ad Augustini sententiam formati, cum si Sacramenta ex opere operato prodesse sine verâ Fide, nunquam non gratia DEI invisibili visibili Sacramento esset conjuncta, quod tamen posterius expressè negat Augustinus, adeoque & per consequens neque prius potest admittere; & hoc quoque, quod de obice dicitur, quammaximè locum habet, ubi de infidelitatis obice fortissimo in hac quæstione sermo est, ut potè omnibus modis operationem Spiritus Sancti per Verbum & Sacramenta agentis impediende, ne ea salutarem consequantur effectum.

Lib. 15. de
Triin. c. 26.

cap. 8.

Ad quartum nunc accedimus Augustini testimonium, quod iterum sine mentione Authoris contra opus operatum adferri solere scribit Bellarminus, inque eo sanctum Doctorem dicere monet, *solum Deum posse dare Spiritum Sanctum, & ideo Apostolos non dedisse Spiritum Sanctum, quibus imponebant manus sed orasse, ut descenderet.* Respondet autem, *aliud esse dona Spiritus Sancti, aliud ipsum Spiritum Sanctum. Dona Spiritus Sancti dare & conferre Sacramenta, ipsum verò Spiritum Sanctum propriè dare non posse nisi eum, à quo ille procedit.* Posse etiam dici, *Spiritum Sanctum ex autoritate non dari, nisi à Deo, à quo ille procedit; instrumentaliter tamen dari etiam ab hominibus.* Legi enim in actis Apostolorum, per eorum manus datum fuisse Spiritum Sanctum, quod etiam imitatur Augustinus. De hoc Augustini testimonio in posterum quoque, ubi de Confirmationis Sacramento agetur. Nuncid solum ex eo notetur, quod sicut ex Augustini sententia olim per manus impositionem non ipsemet Apostoli Spiritum Sanctum conferrebant, sed orabant, ut veniret in eos, quibus imponebant manus, & sic exterior manuum impositionis ceremonia in se ad ipsam Spiritus sancti collationem nihil quidquam est operata; ita etiam de externâ in administratione Sacramentorû actione contra gloriâ jactari operis operati statuendum sit. Nec juvare causam opinionis Papisticæ potest distinctio inter ipsum Spiritum Sanctum & Spiritus Sancti dona, à Bellarmino hic commendata, à que Evangelicis non invitis agnita. Quem enim ad modum non-nisi is, à quo procedit, propriè Spiritum Sanctum dare credendus est, ita etiam dona ejus non nisi ab eodem conferuntur, mediâtè quamvis per Verbum & Sacramenta. Et quia neque DEUS immediate suam nobis revelat voluntatem, neque etiam ipse Sacramenta dispensat, sed utrobique pro liberrimâ dispositione & dispensatione utitur hominum ministerio; hinc propriè magis dicitur DEUM id agere & operari, quam homines ut ut per homines id agat & operetur, quod ipsum de Donis Spiritus Sancti olim per Apostolos mediante manuum impositione concessis venit intelligendû, nec alia hic Augustini mens fuit, cujus nunc porrò quintum videamus contra efficaciam Sacramentorum ex opere operato testimonium, his expressum verbis: *Quid sunt corporalia queque Sacramenta, nisi verba quadam visibilia?* Ad quod Bellarminus respondet, *Sanctum Patrem eo in loco unum Sacramenti effectum assignare, id est, significationem, sed non propter ea ceteros negare, quos alibi sæpè posuerit. Cur autem eo in loco solum de significatione agat, fuisse causam, quia disputaverit de Sacramentis utriusque Testamenti in genere, ac proinde effectum ponere omnibus Sacramentis communem debuisset. Cur verò Sacramenta appellaverit Verba visibilia, illam fuisse causam, quia disputaverit contra Manichæos, qui veterum Sacramentorum in novam mutationem reprehēdebat, ac dixerat, necessariò fuisse mutanda etiam verba post Christi adventum. Nam cum Veteres dicerent, Christus venit, morietur, resurget; dicere nos debere, Christus venit, mortuus est & resurrexit. Et inde Augustinum colligere, Sacramenta etiam fuisse mutanda, ne jam falso significarent.* Ad præter id, quod Augustinum Patrem rectè contra Manichæos eorumque deliria disputare indubium est, Bellarminum quoque hunc locum contra Calvinianos, Sacramentis vim tantum signativam & significativam adtribuentes, non malè concedendum est tractasse; illud in primis tamen observari debet, omisissè Bellarminum ea in hoc Augustini testimonio Verba, quæ Evangelicis quammaximè contra opus operatum inserviant. Ubi enim sanctus Doctor, id quod de Sacramentis in genere pronuntiavit, corporalia dicens Sacramenta, ad Sacramentum Baptismi in specie applicavit

Lib 19.
contra
Fauft. cap.
16.

aliter

aliter DEUM, aliter Aquam, aliter Verba in ejus administratione considerans, notanter subjunxit: *Hæc omnia sunt & transeunt, sonant & transeunt; Virtus tamen, quæ per ista operatur, manet jugiter, & donum spirituale, quod per ista insinuatur, æternum est.* Certe si Augustinus ullibi & unquam, hic omnino opus operatum commendare potuisset, sede quasi propria, & ubi ejus non plane nullus vel exiguus contra adversarios fuisset usus. Sed adeo nihil de eo hic exhibuit, ut phrasi potius notatu digna illud non obscure impugnaverit, efficaciam Sacramentorum ex opere operato non externe solum actioni juxta descriptionem Bellarminianam adscribens, sed expresse statuens, Virtutem divinam per istam operari & Donum spirituale per istam insinuari, tanquam illud medium, quod Voluntati Divinæ visum fuit accommodum, per quod hæc hominibus gratia conferatur.

Jam super adhuc est *Sextum* & ultimum Augustini testimonium à Chemnitio commendatum, quo Bellarmineus scribit eos Augustinum reprehendere, qui sentiebant, non posse eos damnari, qui Sacramenta Baptismi & Cæna Domini percipiunt, licet nec Fidem nec bonam teneant vitam; utpote qui omnino videantur sensisse, Sacramenta ex opere operato justificare, ita ut vi sua justificent, non per Fidem. Bellarmineus respondet, Augustinum illos meritorie reprehendisse, quia non solum credebant, Sacramenta ex opere operato justificare, sed etiam non posse amitti gratiam & salutem semel in Sacramento acceptam per quæcumque peccata postmodum accedentia. Et hanc sententiam Lutheri esse in de Captivitate Babylonica scribentis. *Vides, quam dives sit homo Christianus seu baptizatus, qui etiam volens non potest suam perdere salutem quantiscumque peccatis, nisi credere nolit.* Quæ Lutheri in his verbis mens fuerit & sententia, aliàs indicatur, ubi de bonis & malis operibus ex professo agitur. Nunc id solum ex ultimis ejus in hoc testimonio verbis observetur, non statuisse Lutherum, gratiam in specie Baptismalem per peccata omnino non amitti, sed non finaliter amitti, nisi homo post Baptisma peccans credere nolit, cum intercedente Fide & fiduciali gratiæ DEI adprehensione ad concessum ob morosam nimis Penitentiam procrastinationem inque dies & annos dilationem elaboratur, ac janua gratiæ justo DEI punientis judicio tandem præcludatur. De cætero quam Luthero Bellarmineus adtingit sententiam, per consequentiam ad ipsos pertinet Papæos, qui eam per justificationem operis operati propriam ferè sibi faciunt. Si enim vis & efficacia Sacramentorum operi operato debet adscribi, quod plerique Doctores Papæi volunt, sequitur inde per nexum factis manifestum, eos qui Sacramentis divinitus institutis, & in externa actione, qua opus operatum circumscribit Bellarmineus, ad normam ab institutore præscriptam utuntur, DEO placere, & per hunc Sacramentorum usum justificatos olim salvos fore, quidquid sit de Fide & vitâ suscipientium, quæ hic non attenditur. Ubi in primis notandum est, etsi Sacramenta & Instituto DEI nobis hominibus sint instar medicamentorum contra morbum à peccato contractum & contra mortem æternam, quæ morbum, nisi in tempore subveniatur, certò sequi solet; non in omnibus tamen eandem esse Sacramentorum & medicamentorum rationem, his quidem sine utentis fide suam exercentibus virtutem, in subiecto etiam naufragante & Medicinam omnibus modis respuente, adeoque non nisi per vim exterius admotam suscipiente, illis verò non item, quæ ut in se efficacia ac juxta Augustini phrasin inenarrabiliter multum valentia sint, nihil tamè profunt sine Fide suscipientis & fiduciali Bonorum in iis oblatorum & collatorum adprehensione & applicatione. Et hunc debet referri, quod alibi Doctor augustissimus de necessitate Fidei graviter docuit, scribens: *Non prosunt syllabe nominis Christi & Sacramenta Christi, ubi resistitur Fidei Christi. Fides autem Christi est, credere in eum, qui justificat im-*

Lib. XXI.
de Civit.
DEI, cap.
25.

Tract. 33,
in Joh.

Serm. 30.
de Verb.
Dom.
lib. IV. de
Bapt. c. 8.

lib. II. con-
tra Epist.
Parmen.
cap. 6.

Ibid. c. 10.
obsint

obstant indignè tractantibus Sacramenta, profunt tamen per eos dignè sumentibus, sicut & Verbum DEI testatur &c. Quæ augustissimi Doctores verba dum unâ cum pluribus antecedentibus & consequentibus juri Canonico inseruit Gratianus, canonicam eis eomet ipso conciliauit auctoritatem.

CAPUT DECIMUM QUINTUM & SEPTIMUM

De

Differentiâ Sacramentorum Veteris & novæ Legis.

FAtetur Bellarminus, agnoscere Evangelicos, quos per calumniam solito more dicit hæreticos, differentiam inter Sacramenta utriusque Testamenti. Addo, quod eadem ratione, quâ Sacramentis in genere virtus & efficacia ex opere operato denegatur, sicut hæcenus Augustini auctoritate est evictum, Sacramentis in specie Veteris Testamenti eadem denegatur, in quo omnes convenire Catholicos, Bellarminum antè jam legimus scribentem. Super ergò adhuc est controversia, an ex Instituto DEI Sacramenta veteris Testamenti æquè ac novi habuerint virtutem & efficaciam offerendi, exhibendi, applicandi & obsequandi gratiam homini salutem æternam desiderandi necessariam: Hanc vim sicut Papæ Doctores Sacramentis Testamenti veteris eunt ablati, Sacramentis Novi Fœderis eam modo adscribentes, & ex opere quidè operato, ut proximè vidimus; ita evangelici è contrario scripturâ duce, & teste veritatis orthodoxe Augustino quoad hunc finè Sacramentorû in genere, eumq; principalem inter utriusq; Testamenti Sacramenta nullum faciunt discrimen, sed tam illis, quam his à Deo eandem fuisse vim inditam agnoscunt, per Sacramenta V. T. æquè olim fideles, ac hodiè per Sacramenta Novi Fœderis, in fœdus gratiæ à DEO susceptos, donis & bonis tum necessariis instructos, spe hæredes futuræ Beatitudinis factos, Fide autem verè in Christum sæpè promissum, Typis & præsertim sacrificiis præfiguratum, in tempore præfixo incarnandum justificatos esse, firmiter persuase, id quod jam ex Instituto Augustini auctoritate confirmandum, ejusq; doctrinâ perverfis Bellarmini glossis vindicanda est. Etsi enim Bellarminus suâ ex scripturâ dictis & Patrû testimonio demonstrationi illud præfixerit Lemma, quod Evangelicis non oppositum videtur, scilicet, *nullum legis Naturæ aut scriptæ Sacramentum justificasse ex opere operatos*, in ipsâ tamen deductione satis adparet, eum sibi hunc præfixisse scopum, ut evinceret, Sacramentorum Veteris Testamenti non eam, quæ Sacramentorum Novi Fœderis est, fuisse efficaciam, vel, ut ipse Bellarminus suam proponit sententiam, *Sacramenta legis Naturæ aut scriptæ non eo justificasse modo, quo Sacramenta novæ legis justificant*, idq; contra omnes hujus temporis hæreticos, in quorum numero eum præprimis etiam recensuisse Evangelicos in ipsâ tractatione satis manifestè ostendit. Ut autem omnibus remotis ambagibus rectâ ad Augustinum nos conferamus, dupliciter is in hæc quæstione vindicari debet atq; ostendi, partim impertinenter eum à Bellarmino ad suas trahi partes, partim iniquè eum subtrahi partibus Evangelicorû, qui constanter in defendendâ Sacramentorum utriusq; Testamenti quoad efficaciam & fructum identitate præter scripturâ sacrâ ad Augustini quoque provocant auctoritatem. Prius quod attinet, Bellarminus post laudatos viginti & unum scriptores Ebræos, Græcos, Latinos Augustini sequentia in rem suam producit verba: *Sacramenta non sunt eadem; quia alia sunt Sacramenta salutem dantia, alia Salvatorem promittentia. Sacramenta N. T. dant salutem, Sacramenta V. T. promiserunt salutem*. Duplex ad hæc Augustini verba responsum Chemnitii exhibet cum ejus solutione Bellarminus. Primò dicit eum respondere, *loqui Augustinum de Sacramentis veteribus, quæ non ad hæc habuerint promissionem, sed merâ fuerint signa, juxta Lutheri distinctionem*. Deinde eum cum Calvino respondere, *loqui Augustinum non de efficaciâ Sacramentorum, sed de significatione, & hoc velle solum interesse inter illa & ista, quod illa Christum significarent venturum, hæc verò eum significent datum & exhibitum*. Ad primum respondet Bellarminus, *loqui Augustinum in genere de Sacramentis veteribus & maxime de sacrificiis, & dicere, omnia esse mutata quia non dederint salutem*. Præterea, cum Augustinus dicit, *illa Sacramenta fuisse Salvatorem promittentia, videri eum de illis maxime loqui, quæ ad hæc habuerint promissionem, si modo promiserint Salvatorem*. Ad secundum, non dicere Augustinum, *Sacramenta novæ legis significare Salvatorem, sed dare salutem*. Præterea eundem ibi dicere, *mutata esse Sacramenta, & facta esse faciliora, pauciora, salubriora, felicitiora*. Atqui hæc non ad significationem, sed ad efficaciam pertinere. Deniq; eundem Augustinum aliis in locis aperte discrimen ponere quoad efficaciam. In hunc finem quatuor Augustini testimonia colligit Bellarminus, è quibus primum est: *Cur non dicam, illa veterum Sacramentorum præcepta nec bona fuisse, quia eis non justificantur homines; umbra enim sunt, præcursori-*

Epist. 19. ad Hieron.

antes gratiam, quâ justificamur. Secundum: *Instituta sunt alia Sacramenta, virtute majora, utilitate meliora.* Addit Bellarminus: *Igitur Sacramenta novæ Legis excellunt antiquis utilitate & virtute, non sola significatione.* Tertium: *In Sacrificiis non erat expiatio peccatorum, sed umbra futurorum.* Quartum: *Si vetera per se attendantur, nullo possunt mederi pacto, si autem res ipsæ, quarum hæc Sacramenta sunt, inquirantur, in eis inveniri poterit peccatorum purgatio.* Hæc omnia ex Augustino Bellarminus, de quibus ordine agendū, & quidem ex Chemnitio, quem sibi refutandum sumit, conatu quamvis irrito & in vanum fumumq; Ita autem examinatur Anti-Tridentinus ad illud augustissimi Doctoris testimonium, quod in acie Bellarminus collocavit: *Si rectè & diligenter expendatur, quo Augustinus modo in allegato loco illam disputet quæstionem, non tantum liquidò constabit, quæ fuerit ipsius sententia, sed etiam vera monstrabuntur fundamenta, ex quibus quæstio hæc rectè explicari & judicari poterit.* Non autem promiscuè de omnibus figuris & signis T. V. disputamus, sed de illis, quibus verbum promissionis gratiæ fuit adnexum. Multæ enim fuerint in V. T. figuræ & umbræ, quæ aliquid sane de Mysterio Incarnationis, Redemptionis & Justificationis significarunt, nō autē omnes adjunctam habuerunt expressam promissionem divinam, quod per illa signa Deus offerre, adplicare & obsignare vellet promissionem Justitiæ fidei singulis, ritibus illis fide utentibus. Quædam verò non tantum significarunt, sed etiam habuerunt adjunctam promissionem, quod per illa signa an Verbo Deus Justitiam Fidei offerre, adplicare, obsignare & confirmare vellet in singulis, signis illis fide promissionis utentibus, quale signū extra omnem controverfiam fuit Circumcisio. Duplicia igitur fuerunt signa T. V. quædam significativa tantum, quædam verò simul etiam virtute promissionis exhibitiva seu obfignativa gratiæ. Augustinus verò omnia illa signa aliquando unâ & eadem Sacramenti adpellatione comprehendit. Quando igitur figuras & umbras, quæ signa sunt tantum significativa, Sacramenta vocat, tunc dicit, de discrimine V. T. & Novi agens *Sacramenta non eadem, promissa non eadem.* Et illud declarat: *Promissa non eadem, quia promissa erant in Canaan, Regnum temporale, felicitas terrena. Sacramenta non eadem, quia alia sunt salutem dantia, alia Salvatorem promittentia. Sacramenta Novi dant salutem, Sacramenta V. T. promiserunt Salvatorem.* Addit plurimâ cum observatione Chemnitius: Numquid autem dicemus, Augustinum sensisse, Patres in V. T. terrenam tantum habuisse promissa, & prorsus destitutos fuisse spirituali promissione de Justitiâ coram Deo, vitâ & salute æternâ: aut Patribus in V. T. non fuisse datam salutem? Certè nemo sanus Augustino sententiam hanc manifestè falsam tribuere audebit, quam multis in locis ipse refutavit. In promptu igitur est colligere, quid Augustinus illo in loco velit; collatione enim seu mutuam potius relationem & individuam connexionem instituit inter promissa & Sacramenta, ut qualia sint promissa talia sint etiam Sacramenta; & quidem ex promissis sumendum esse de Sacramentis iudicium. Et hoc fundamentum diligenter monet observandū esse Chemnitius, hæc porro ex Augustino subjungens: *In V. T. fuerunt promissa quædam terrena seu temporalia Politicæ Mosaicæ, & illis promissis etiam Sacramenta quædam fuerunt adjuncta.* Concludit igitur Augustinus, inquit, sicut ipsa promissa terrena fuerunt figuræ spiritualium promissionum, ita etiam Sacramenta illarū promissionū significasse futuram Salvatoris *in novæ ævæ.* Manifestum igitur est, Augustinum primo ibi de signis loqui, quæ tantum sunt significativa, quæ non adnexam habuerunt spiritualem promissionem. Deinde etiam inter ipsas spirituales promissiones in V. & N. T. Augustinus tale facit discrimen, quod in V. T. sint promissiones Christi venturi, in Novo autem sit annuntiatio Christi exhibitæ. Non minus autem promissio de futuro semine benedictio in V. T. fuit potētia Dei ad salutem omni credenti, quam annuntiatio in N. T. de Christo exhibitio. Et ex hoc fundamento, de discrimine nimirum promissionis gratiæ in utroque Testamento, Augustinus differentiam sumit & constituit inter Sacramenta, quæ in utroque Testamento promissioni gratiæ voce Divinâ fuerunt adnexa, inquit enim: *Cum ergo jam teneas promissa, quid quæris promittentia, Salvatorem jam habens? Hoc verò est, quod dico, te promissa tenere, non quod jam accepimus vitam æternam, sed quia Christus jam venit, qui per Prophetas præannuntiabatur.* Et hanc differentiam in multis aliis locis repetit & explicat Augustinus. Obfignat hunc discursum suum Chemnitius verbis sequentibus: *Iste igitur locus Augustini, quo ferme solò nituntur Pontificii, nihil ipsi patrocinatur, quasi tempore V. T. nulla planè fuerint Sacramenta, per quæ Deus in verbo obtulerit, exhibuerit & obfignarit gratiam, cum certum sit, promissionem gratiæ tunc adnexam fuisse certis quibusdam ritibus seu Sacramentis. Id ubi Chemnitius prolixè de sacris comprobasset scripturis, & post aliquot utriusque Testamenti oracula huc pertinentia Paulum quoque testem adduxisset, de*

lib. 19 contra Faust. cap. 13.

Tract. 41. in Joh. quæst. 25. in Num.

,, eſcã & potu ſpiritali Iſraelitarum in deſerto Corinthios informantem, quem poſtea
 ,, etiam uberius ex Auguſtini ſenſu audiemus; aliqua iterum ſancti Patris dicta rem hanc
 ,, illuſtrantia lectori comendat, ut quod Concionem Chriſti de Mannã explicans hunc
 ,, Apoſtoli locum cum Baptiſmo & Cœnã Domini contulerit, ſcribens: *Sacramenta illa*
 Traſt 26. ,, *fuerunt in ſignis diverſa, in re, quæ ſignificatur, paria ſunt.* Et iterum: *In ſignis diver-*
 & 45. in ,, *ſis fides eadem, ſicut in verbis diverſis, quorum alterum prænuntiat Chriſtum venturum,*
 Joh. ,, *alterum nuntiat Chriſtum veniſſe.* Addit porro, eundem alibi videlicet contra Fauſtum
 ,, Mancichæum multis agere argumentis, ut oſtendat, in diverſis ſignis, ritibus ſeu Sa-
 ,, cramentis utriuſq; Teſtamenti res non eſſe diverſas, ſed eaſdem. Nam, inquit, mo-
 lib. 19. cap. ,, *vens quæſtionem, An tantum profuerit antiquis juſtis fides paſſuri & reſurrecturi Chri-*
 15. ,, *ſti, quantum nunc prodeſt fides paſſi & reſuſcitati; & an ipſa ſanguinis Agni DEI eſuſſo,*
 ,, *quæ facta eſt pro multis in remiſſionem peccatorum, aliquid utilitatis & purgationis dede-*
 ,, *rit his etiam, qui hoc credentes futurum, ex vitã migraverant ante quam fieret?* Eſi
 ,, iſtam eo in loco non definit, alibi tamen manifeſtè ex Verbo DEI adfirmat, juſtos V.T.
 ,, *quantalibet fuerint ſanctitatis, non tamen eoſ feciſſe ſalvos, niſi fidem Mediatoris, qui in*
 ,, *remiſſionem peccatorũ ſudit ſanguinem ſuum.* Jam obſervet lector, inquit iterum Chem-
 ,, nitiuſ, quæ argumenta inde texat Auguſtinus. Dicit enim: *in hac vitã nemo poteſt*
 ,, *eſſe juſtus, niſi qui ex fide vivit, gratia enim, Juſtitia, ſalus, vitã æterna fide ſunt accipienda.*
 Ibid. c. 14. ,, Addit autem: *Antiqui juſti, qui Sacramentis illis intelligebant venturam prænuntians*
 ,, *revelationem fidei, ex illã, licet adhuc operã & abſcondita, munere tamen Pietatis intel-*
 ,, *lectã, ipſi etiam vivebant.* Agnoſcit lector argumentorum connexionem: antiqui juſti
 ,, acceperunt remiſſionem peccatorum propter Chriſtum Mediatorem, remiſſio au-
 ,, tem peccatorum non niſi fide accipitur, antiquorum fides verò objectum habuit non
 ,, nudum tantum verbum, ſed etiam Sacramenta illius temporis, & ex illã fide in Sacra-
 ,, mentis munere Pietatis intellectã juſti vivebant. Quis igitur jam dicet, fidem anti-
 Cap. 16. ,, *quorum in Sacramentis illius temporis nihil accepiffe, cum Auguſtinus adfirmet, ipſos*
 ,, *fide illã in Sacramentis intellectã vixiſſe? Idem Auguſtus Pater ibidem, conferens ver-*
 ,, *bum & Sacramenta, inquit: Si eadem res aliter enuntiat ſacramenta, ut de Chriſto paſſo,*
 ,, *reſurrecturo &c. aliter enuntiat ſacramenta, ut de Chriſto paſſo, reſuſcitato &c. quã mi-*
 ,, *rum, ſi alius myſteriorum ſignaculis futura Chriſti paſſio & reſurrectio eſt promiſſa, alio*
 ,, *jam facta adnuntiat.* Subjungit iterum Chemnitiuſ: ſi igitur cõcedimus, per verbum
 ,, promiſſionis in V.T. oblata & exhibita fuiſſe à Deo credentibus gratiam & ſalutem;
 ,, quo modo Sacramentis illud adimemus, quæ nihil aliud ſunt, quàm verba viſibilia?
 cap. 14. ,, Ut eadem ſit ratio & idem uſus verbi & Sacramentorum. Et iterum ibi correlativa
 ,, facit ſanctus Doctor ſicut fidem & verbum ſeu promiſſionem, ita etiam fidem & Sa-
 ,, cramenta, his verbis: *Eadem credebant, eadem ſperabant omnes juſti & ſancti etiam tem-*
 cap. 16. ,, *porum illorum.* Adhuc ſemel: *Adverſus calumnioſam Fauſti imperitiã ſuffecerit dem-*
 ,, *monſtrare, quanto delirant errore, qui putant, ſignis Sacramentisque mutatis res etiam*
 ,, *ipſas eſſe diverſas, quas ritus Propheticus prænuntia vitã promiſſas, & quas ritus Evange-*
 ,, *licus adnuntiat impletas; aut qui cenſent, cum res eadem ſint, non eas aliis Sacramentis*
 ,, *adnuntians debuiſſe completas, quàm his, quibus adhuc complende prænuntiantur.* Poſt-
 ,, quam verò idem Chemnitiuſ ex eodem Auguſtino differentiam & diſcrimen non
 ,, unius generis vel ſpeciei inter Sacramenta utriuſque Teſtamenti oſtendiſſet, id inſu-
 ,, per ad hujus Controverſiã illuſtrationem ac melius percipiendum Auguſtini ſenſum
 ,, monuit & obſervavit: *Quando igitur Auguſtinus dicit, in Verbo & Sacramentis I.T.*
 ,, *fuiſſe veritatem promittentem, in Novo exhibentem; in Veteri ſignificationem in Novo res*
 ,, *redditas, intelligit hoc de incarnatione Chriſti & de opere redemptionis, non autem*
 ,, *de virtute ejus & de gratiã, quam certè juſtis in V.T. exhibitam fuiſſe, nemo poteſt*
 ,, *negare, qui ipſos conceſſerit eſſe ſalvos.* Et cum Sacramenta N.T. dicit *faciliora,*
 ,, *ſalubriora, feliciora, num ideo V.T. Sacramenta omninò nec ſalubria, nec felicia erunt?*
 ,, *Aut quia Sacramentorum N.T. prædicatur virtus major & utilitas melior; num ideo*
 ,, *nulla planè virtus erit, aut nulla omninò Sacramentorum V.T. utilitas? Certè que ſe-*
 ,, *cundum magis & minus comparantur, gradu licet differunt, in uno tamen & eodem*
 ,, *genere conveniunt.* Felicitatem igitur, utilitatem, virtutem & ſalutem Auguſtinus
 ,, V.T. Sacramentis eometipſo tribuit, quod N.T. Sacramenta prædicat *feliciora, ſalu-*
 ,, *briora, virtute majora & utilitate meliora.* Et hoc libenter damus: nimirum ſicut mo-
 ,, dus revelationis in N.T. illuſtrior eſt, lux fidei major, & meſura gratiæ uberior; ita
 ,, etiam per Sacramenta N.T. gratiam Chriſti luculentius, plenius, perfectius & uberius
 ,, diſpenſari credentibus. Hæc Chemniti ad ſententiam Auguſtini penitus intelligen-
 ,, dam obſervata ſi ex debito attendantur, facile oſtendent, Bellarminum duplex ejus re-
 ſponſum

ſponſum ad Auguſtini teſtimonium imperfectè nimis exhibuiſſe, hic neceſſariò uberius exponendum, ut fallacia Bellarmini optima quæq; omittentis ex unâ, ex alterâ autem parte Evangelicorum de differentiâ partim, partim de identitate Sacramentorum utriuſque Teſtamenti ſententia eò manifeſtior evadat, & ſimul eorum quæ idem Bellarminus ad utrumque repoſuit, vanitas & inanitas adpareat. Conſtat inſuper exindè, quid de cæteris plerisque Auguſtini teſtimoniis à Bellarmino laudatis habendum ſit, cum ex uno ritè intellecto de cæteris eò facilius poſſit judicari.

De primo tantum inter illa aliquid dicendum, ut potè quod cæteris aliquanto durius & intellectu difficilius videtur, pleniori Textu ſequentia proponens: *Cur non dicam, illa Veterum Sacramentorum præcepta nec bona eſſe, quia eis non juſtificantur homines; (umbra enim ſunt, præannuntiantes gratiam, quâ juſtificamur) nec tamen mala, quia Divinitus ſunt præcepta, temporibus perſoniſq; congruentia; cum me Prophetica etiam adjuvet ſententia, quâ dixit Deus, ſe populo illi præcepta dediſſe non bona. Forte enim propterea non dixit mala, ſed tantum non bona, id eſt, non talia, ut illis boni fiant homines, aut ſine illis boni non fiant.* Epiſt. 19 ad Hieron. Ezech. 20. v. 25.

In genere notetur hic etiam, quod ſuprà non ſemel fuit obſervatum, Auguſtinum hic vocabulo Sacramenti, ſicut aliàs sæpius, ſenſu laxiore uti & intelligere de quibuſvis Ceremoniis, divinitus populo Iſrael antehac præſcriptis, adeoque verba hæc ad præſens Inſtitutum non pertinere, ubi de Sacramentis ſenſu ſtrictiore ita dictis agitur, ac omninò impertinenter & imperfectè ea à Bellarmino fuiſſe objecta. In ſpecie autem, quod ad applicationem & authoritatè oraculi Prophetici ab Auguſtino factam attinet, quam Sanctius Chryſoſtomo & Theodoro etiam è Patribus adſcribit; alios tamè, & quidem ex eorū Patrum numero Ambroſium & Gregorium cognomine Magnum aliter illud Prophetiçum intelligere oraculum monens, præcepta nimirum antiqua adpellari non bona, non abſolute, ſed comparatè cum optimis, cum hiſ videlicet, quæ data ſunt Eccleſiæ Evangelii tempore, cum uſitatu ſit in ſcripturâ, ut negetur aliquid in eſſe alicui, quod alterius comparatione exiſtimatur exiguum. Addit idem Sanctius, alios præcepta hæc ceremonialia ideò, putare non bona fuiſſe Judæis, quia durioris ſupplicii materiam illis præbuerunt, cum neq; tam graviter peccaſſent, tamq; gravi ſupplicio fuiſſent obnoxii, niſi habuiſſent legè, cujus violatio gravius inculcaverat illos, quàm qui ab illâ lege non tenebantur; & ita explicare alibi Auguſtinum præter Authorem Conſtitutionem Apoſtolicarum & ex interpretibus Judæis Salomonem Sarchium, hancq; ſententiam quibuſdam recentioribus non improbari. Sed & quartam addidit Hieronymi explicationè, ſtudentis, in præceptis non bonis illa ſignificari peccata, in quæ populus protervus & ingratus à vindice Deo deſertus labi eſt permiſſus, de eâ monens, placere Maldonato, Hieronymo Prado & Vaſquezio, hæc cum obſervatione additâ, ea, quæ præcepta vocantur, non tam eſſe à Domini præcipientis imperio, quàm à non impedièntis permiſſione, quæ cum aliquid ſonet negativum, poſitivâ tamen actione explicari ſolere, quem videlicet ad modum Deus indurare dicitur cor Pharaonis & ſervotum ejus, & Prophetas decipere, excecere oculos, adgravare aures, & homines in reprobum dare ſenſum. Dediſſe itaq; Deum præcepta non bona, quia in ſacra nefaria & impiam Idolorum religionem, quæ ſuas habet leges & ceremonias, diſfluere permiſit. Hęc ſententia etſi Sanctio omnium maxime viſa eſt probabilis, & cui à Textu nihil objici poſſit, quod valdè incommodet; viſa tamen eſt aliquantulum fugere, nec omninò cum ſuperioribus conſentire. Hinc de aliâ & ſingulari fuit ſollicitus, juxta quam hæc oraculi Prophetici exhibet paraphraſin: Dedi eis præcepta bona & jugum leve, quibus, ſi parere vellent, vitam agerèt jucundâ & omnibus rebus adfluente, in terrâ, quæ lacte manabat & melle. Sed quia præcepta mea bona contemferunt, feci, ut alia ſubirent præcepta non bona, aſpera videlicet & dura, à Tyranniſ imponita, aut à me in capita illorum decreta, qualia ſunt, Gladius, Fames, Peſtis, & jugum verè ferreum, quo cervix frangatur indomita, & ſpiritus ambitioſi & vani deprimantur. Quam præterea Immanuelis Saa ſubjungit explicationem, quæ itidem Ephius partim in Annotationibus, partim in Additionibus ad hunc locum, alii etiam interpretes Sanctio præteriti, nominatim Hector Pintus & Petrus Serranus, Doctor Complutenſis, circa ejus intellectum monuerunt, brevitatis ergo hic non attingo, eo contentus, quod Auguſtinianâ oraculi hujus adplicatione Sanctius ſe non teneri agnovit, Evangelicis ad idem jus & privilegium provocantibus, præmiſis cum ipſe Auguſtinus, eodem Sanctio id obſervante, in oraculi hujus non adeò facilis explicatione, non unius ejusdemque fuerit ſententiæ, alii etiam interpretes antiqui & recentiores aliter quàm Auguſtinus illud intellexerint, eometipſo liberam aliis quoque ab ejus opinione diſcedendi facultatem concedentes. De teſtimonio Auguſtini ſecundo ex opere contra Fauſtum deſumpto Chemnitius prolixè egit; nec quidquam ad rei ſummam deſideratur. Quis verò tertii ſenſus ſit, & quomodo veniat intelligendum, quod ſacrificiis T. V. expiatio peccatorum denegatur; breviter viden-

dum est, & iterum quidem ex integro sancti Patris Textu, qui sic habet: *Cum de sacrificiis pro peccato offerendis praeceperet Deus, in quibus sacrificiis non erat expiatio peccatorum, sed umbra futurorum; eadem ipsa sacrificia, easdem ipsas hostias, easdem ipsas victimas, eadem ipsa animalia, quae admovebantur pro peccatis macianda, (in quorum sanguine Christi sanguis figurabatur) peccata lex adpellat, usque adeo, ut in quibusdam locis sit scriptum, ut sacerdotis immolaturi ponerent manus suas super caput peccati, id est, super caput victimae pro peccato immolanda.* Hic dum augustus Doctor scribit, in sacrificiis non fuisse expiationem peccatorum, intelligi debere, sacrificia in se non habuisse vim peccatorum expiatrix, neque eis omnino hanc vim ex Instituto Dei denegandam esse, exinde patet, quod expressè agnoscit, fuisse ea pro peccatis offerenda & victimas pro peccatis immolandas, nullum certe alium in finem, quam pro expiandis, & ut populus hæc ratione Deo reconciliaretur inque fœdus gratiæ, quo per peccata exciderat, reciperetur. Nec quidemquam impedit, quo minus hæc virtus expiatrix sacrificiis adscribatur, quia phrasi scripturæ ipsa sacrificia, hostiæ, victimæ, animalia fuerunt dicta peccata; dum ipse Augustinus ibidem in antecedente & consequente observavit, Christum ab Apostolo quoque dictum fuisse peccatum, id est, *verum pro peccato sacrificium, quia nullum ipse habebat peccatum,*

2. Cor. 5.

Tale peccatum, inquit, id est, sacrificium pro peccato factus est Dominus noster Iesus Christus, qui non noverat peccatum. Si igitur Christo, sacerdoti pariter & sacrificio non obest, ne virtus expiatrix ei adtribuatur, quia peccatum ab Apostolo dictus est, sensu per Augustini explicationem satis claro; sacrificiis etiam T. V. unicum hoc sacrificium typicè præfigurantibus, quæ suo olim populo in remedium pro peccatis, videlicet expiandis, præcepit & proposuit, obesse non potest, quia Idiome sacro, quo Deus suam ei revelavit voluntatem, & cum sanctis olim Patriarchis & Prophetis mediâ & immediatè est locutus, peccata, id est, sacrificia pro peccatis dicuntur, quo minus verè peccata expiâsse credendū sit, cum potius ex hoc ipso sequatur & legitime deducatur, fuisse sacrificia hæc expiatoria, quia pro peccatis fuerunt oblata, & victimæ pro peccatis immolatae, nulla aliâ ratio sufficiens possit indicari, cur ea pro peccatis oblata dicantur. *quamvis, si quod res est, dici debet, hoc Augustini testimonium propriè ad præsentem Controversiam non pertineat, ubi non de sacrificiis, sed de Sacramentis T. V. propriè sic dictis, eorumque virtute & efficacità agitur, neminiq; rerum Theologicarum gnarorum dubiū est aut ignotum, aliter de his, quam illis judicari debere, & aliâ horum, quam illorum ex Instituto Dei fuisse rationem.*

Conf. D. Glass. Phil. s. lib. 5. pag. m. 1078.

Quartum, nunc super adhuc est, ejusdem cum antecedente argumenti, quod si prout jacet tantum, & à Bellarmino verbotenus est, attentè consideretur, Evangelicorum sententiam confirmat, Papistarum verò evertit, multo magis autem id præstat, ubi plenior iterum ex antecedentibus Textu legitur, ut mirum sit, ausum fuisse Bellarminum id lectorem veritatis studiose objicere. Agit autem ibi sanctus Pater de peccatis superbiæ, cum qui superbiendo, id est, præceptum contemnendo, perperam facit. De iis ex Mosis doctrinâ hunc in modum scripsit: Hoc genus peccati non dicitur ulli genere sacrificii oportere purgari, tanquam insanabile judicans illa duntaxat curatione, quæ per sacrificia gerebatur, qualia in hæc scripturâ præcipiuntur faciendâ, quæ si per (se) ipsa attendantur, nullo possunt mederi pacto, si autem res ipse, quorum hæc sacramenta sunt, inquirantur, in eis inveniri poterit peccatorum purgatio. Nota & hic lector optimè distinctionem, quæ & in antecedente testimonio ratione & vim sacrificiorum expiatrix satis manifestè ostendit, hic autem adhuc clarus expressit. Et præterea dum augustus Doctor de peccatis superbiæ scripsit, *ea nullo sacrificii genere purgari, hoc ipso iterum præsupposuit, alia de cætero peccata variis sacrificiorum generibus fuisse purgata, notanter etiam ejus curationis mentionem faciens, quæ per sacrificia gerebatur.* Et si autem vocabulo Sacramenti hic utatur Augustinus, ipse tamen ostendit Textus, quod & ad primum ejus testimonium, & supra non semel fuit observatum, in latiori & laxiori factum id sensu, adeoque ad hanc quæstionem referri non debere. Posito autem, de Sacramentis strictè & propriè dictis Augustinum hic esse locutum, nihil tamen contra Evangelicorum, pro Papistarum sententiâ id inserviret, cum perpetua & constans sit illorum doctrinâ, Sacramenta utriusque Testamenti in genere, si per se attendantur, nullo possunt mederi pacto; si autem res ipse, quarum sunt Sacramenta inquirantur, posse in eis peccatorum inveniri purgationem, imò non posse tantum, sed verè & quod dicitur de facto inveniri apud eos, qui modo decenti, id est, verâ in Christum ejusque meritum fideiis utuntur, ac beneficia in iis à Deo Sacramentorum institutore oblata & collata fiducialiter adprehendunt, sibi quemet ipsis in specie adplicant. Crimen falsi, quod in ultimi hujus ex Augustino testimonii adductione Bellarminus commisit, dum in priorè ejus parte vocabulum Sacramenti præter authoris mentem in trusit, ubi Vox Sacrificii locum habere debuit, ut ex ipso constat textu, adeo graviter non urgeo, ut sit tale quid ab Evangelico scriptore commissum, Bellarmini sequaces sine insigniori censurâ & animadvertione vix prætermitterent.

Ad

Ad posterius nunc vindiciarum pro Augustini & Evangelicorum doctrinâ in præfenti questione caput progredimur, quod itidem est bipartitum, duorum videlicet pro eadem Sacramentorû utriusq; Testamenti efficacîâ & virtute oraculorum ex Augustino proponens explicationem. Et prius ex T. V. exhibet institutionem Sacramenti circumcisionis, de quo Catholicorum quorundâ, nominatim *Alexandri Halensis, Bonaventuræ, Scotti, Gabrielis* sententiam esse dicit, quod justificaverit ex opere operato, cum qua Bellarminus monet multa pugnare argumenta, & simul observat, non favere eam hæreticis, ducta autem Augustini ita argumentari: *Deus minatur omni masculo Ebræorum, etiam infanti, interitum perpetuû, nisi fuerit circumcisus. Ergo per circumcisioñe liber abantur masculi ab aternâ morte.* Respondet verò Bellarminus, vim illius argumenti totam ex duabus pendere vocibus, que in editione Græcâ habeantur, quâ usus sit Augustinus; Græcos enim sic locum legere: *Et incircumcisus masculus, cujus non circumciditur caro pro eputu in die octavo, peribit animâ illa de populo suo.* Ubi illa verba, *in die octavo*, addita sint à Græcis; non enim haberi in Codicibus Ebræicis, nec in Paraphrasi Caldaicâ, nec in vulgatâ editione Latina. *Addit porro Bellarminus*: ob illa duo verba, *in die octavo*, conatus est Augustinus hunc locum exponere de parvulis, ac dicere, Deum minari penam parvulis circumcisioñe carentib⁹, & hinc conatus & ulterius verba proxime sequentia, *quia Pactum meum fecit irritum*, exponere de peccato originali & de pacto cum Adamo olim facto de non comedendo ligno scientiæ boni & mali, quod solum parvuli poterit prævaricari; & hinc ultimò coactus & illa verba, *peribit anima illa*, exponere de morte aternâ, quæ peccato originali debetur. At, *inquit præterea Bellarminus*, si removeamus à textu illa duo verba, *in die octavo*, ut verè removenda sunt, totum concidet argumentû. Nam ne cogemur hunc locum exponere de parvulis, imò cogemur exponere solum de adultis, ut hic fit sensus. Masculus ebræus, qui noluerit circumcidi, aut filium suum circumcidere noluerit, peribit de populo suo, quia inobediens fuit præcepto à me dato de circumcisioñe. Ex quâ sententiâ, *subjungit Bellarminus*, non magis sequitur, circumcisioñem justificare, quam quodcumq; legis præceptû; millies enim Deus minatur mortem non servantibus præcepta. Esse autem illum hujus loci sensum, tribus ostenditur modis, *ita pergit Bellarminus contra Augustinum*. Primò ex illis verbis, *quia Pactum meum fecit irritum*. Nam etiam si Augustinus hoc exposuerit de Pacto cû Adamo olim facto, luce tamè clarius est, debere hoc exponi de Pacto cum Abrahamo tum facto de circumcidendis in carne masculis. *Secundo* idem probatur ex illâ penâ, *peribit anima ejus de populo*. Non enim ista verba significat aternâ mortem seu Gehennam, sed aliquam temporale penam. Nam id significat, *de populo suo*; non enim dicit, *peribit absolute*, sed *peribit de populo*, id est, separabitur à populo suo, seu per mortem corporalem, seu per quandâ veluti excommunicationem. *Tertio* probatur ex capite exodi quarto, ubi Dominus Moſen occidere voluit, quia Filium suû non circumciderat. Ubi clarè videmus, penam illam esse mortem corporale, & latam in eum, qui adultus sit, & capax actualis peccati, non in infantes. Et quanquâ Augustinus ostendere conatur, filiû Moſis, non ipsû Moſen in periculo fuisse ob incircumcisioñe, restamen clarissima est. Nam si Deus minaretur mortem parvulo, si non circumcidatur die octavo, quid profuisset filio Moſis circumcisio illa post octavam diem facta? *Deinde*, textus est apertissimus: *Cumq; esset in itinere in deserto Moſis, occurrit ei Dominus, & volebat eum occidere.* quem eum, nisi Moſen, de quo in proximis loquebatur verbis? Præterea sequitur: *Tulit ergo sephora acutissimâ petram, & circumcidit pro eputium filii sui.* Si illud, voluit occidere eum, de filio Moſis intelligeretur, dixisset scriptura: circumcidit pro eputium ejus, non autem filii sui. Præterea addidit sephora & dixit Moſi: *Sponsus sanguinum in umbilicibus*, id est, jam te sponsum meum amissura eram, nisi te sanguine mei filii redemissem. Hæc omnia contra Augustinum & quosdam ut vocat Doctores Catholicos, simul etiam *aliquâ ex parte* contra Evangelicos habet Bellarminus, ad quæ aliquâ veniunt observanda. Dico autem notanter contra Evangelicos *aliquâ ex parte*, quia hic omnia Augustini, quæ ex eo adducit Bellarminus, nostram non facimus, multò minus eorum, quos vocat, Catholicorû sententiâ, vim Sacramentû circumcisionis operi operato adscribentium, in præcedenti Controversiâ proscriptam & Sacramentis in genere denegatam. Sicut enim Bellarminus sibi liberum esse putavit, hic & alibi sæpius ab Augustini sententiâ discedere; neq; Evangelicis erit prohibitum, suâ hic uti libertate, inque veritatem explicationis Augustinianæ, debitâ cum modestiâ, sine præjudicio authoritatis eidem debitâ, imò bonâ cum ejus veniâ inquirere, ejusdemque fundamenta examinare, ita tamen, ut præviis plerumque Doctoribus Patris ostendatur, posse aliquatenus & hinc Augustini sententiâ absque læsione fidei analogiæ defendi, modò ne iusto rigorosiùs agatur cum eo. Et quidem quod duas voces illas attinet *in die octavo*, quas Augustinum ex editione & versione Bibliorum Græcâ præprimis hic attendisse scribit Bellarminus, ob quas coactus fuerit hunc locum de parvulis exponere, quibus remotis & verè removendis totum Augustini argumentum concidere putat, juvat huc ea adscribere

Gen. 17.

lib. 16.
de Civ.
DEI,
cap. 27.Quæst.
2. in E.
xod lib.
4. de
Bapt.
cap. 24.

Tom 3. bere *Suarezii* verba, quæ in hujus quæstionis ventilatione non suo quidem, sed alius Autho-
 in p. 3. ris nomine proposuit, attamen nihil etiam iis opposuit, sententiarum inter se pugnantium co-
 Thom. natus tentare conciliationem: *Lectio septuaginta interpretum retenta est in nova editione*
 Art. 3. *jussa sexti quinti facta; quare non videtur facile rejicienda, quod in Ebr. eo & vulgata editione*
 Disp. 5. *latina non habeatur, quia illis non repugnat, sed ea potius explicat. Unde potest summi judicium,*
 Sect. 1. *antiquam Iudeorum Synagogam ita hunc locum intellexisse, & septuaginta interpretes ad expli-*
candum amplius sensum suo tempore & in sua receptum Ecclesia illam addidisse particulam, quæ
posita non potest illa comminatio ad solos adultos referri, cum masculus etiam post diem octiduum
incircumcisus dicatur periturus. Præterea seclusa etiã illa particulã, verba scripturæ indefinita
sunt & univèrsali æquivalent locutioni. Non ergo possunt liberè ad solos coartari adultos, alio-
quin & illa Christi verba, nisi quis renatus fuerit &c. similimodo possunt limitari, quia est idem
genus univèrsalis seu indefinitæ locutionis, & in utraq; dicitur passivè &c. Præterea huic expo-
sitioni favet contextus. Nam proximè dictum erat, Infans octo dierum &c. Statim vero sub-
ditur, Masculus, cuius præputiũ &c. Ergo, nisi sit magna in verbis æquivocatio idem masculus
dicitur periturus, si non circumcidatur, qui præceptus erat circumcidi. Hic autem erat infans octo

vid. D.
Dorsh.
ad E.
xod. c. 4.
Disp.
ult. 5.
ult.

torum &c. Hæc pro interpretatione Græcorum vindicanti visæ fuerunt *Suarezio*, disputationi aliàs ad quævis refutandum promississimo, & cui nihil arduum nimis fuit visum, quod non posset acriter oppugnare, ut de conciliatione sententiarum sibi invicem ex hac parte oppositarum magis, quam de hujus refutatione esset sollicitus. Et fortè si hujus sententiarum rationes & momenta accuratius ponderasset *Bellarminus*, non tam exili operã subruicam posse & exterminari censuisset, ut Evangelici pro sententiã de vi & efficaciã Sacramentorum T. V. æquè ac Novituentiã hanc septuaginta interpretum, *Augustini* & Catholicorum, quos vocat, doctorum nô teneantur facere suam, aliis nimirum instructi ex *Augustino* etiam argumentis, ipsum respicientibus textum originale, ex quo eo ceu fonte purissimo profluentib; id quod sequenti nunc observatione docebitur. Dum enim *Bellarminus* porro contra *Augustinum* agens, ad verba textus scribit, *ex hac sententiã non magis sequitur, circumcisionem justificare, quam quodcunq; legis præceptum, nullis enim Deus vivat ut mortem non servantibus præcepta; contrarium sibi & adversarium habet est Societate suã Pererius, sequentia pro Augustini sententiã in suis ad Genesim Commentariis & Disputationibus scribentem: In circumcissione remissum ac delictum esse Peccatum originale, doctrina est & sententiã*
 „ communis Theologorum, ac *Augustino*, *Gregorio Magno*, *Bedã*, aliisq; nobilib; & claris Docto-
 „ ribus tradita & à posteriorib; Theologis magno ad sensum consensuq; ad probata. Beatus
 „ sanè *Augustinus* nõ uno docet loco, quã vim habet effectumq; Baptismus in populo Chri-
 „ stiano, purgandi hominẽ à peccato, & justificandi, ac demum spiritualiter regenerandi.
 „ milẽ habuisse posteros Abrahæ per circumcisionẽ, idq; probat ex illis DEI verbis: *Mas-*
 „ *culus, cuius præputiũ caro die octavo circumcisum non fuerit, delebitur anima illius de populo meo,*
 „ *quia irritum fecit pactum meum.* Deleri animam de populo DEI non est aliud, nisi à Dei &
 „ sanctorum societate & consortio excludi; id autem non fit, nisi propter peccatum, quod
 „ sanè nullum in ætate infantuli esse potuit, nisi originale. Idq; illis declaratum est verbis,
 „ *quia irritum fecit pactum meum; illud scilicet pactum, quod Deus ab initio fecerat cum A-*
 „ *damo, cum ei dixit: In quacunq; die comederis ex ligno scientiæ boni & mali, morte morieris.*
 „ Hoc pactum prævaricantem tunc *Adamo*, id ipsum simul omnes posteri sunt prævaricati, &
 „ in ipso peccantes etiam ipsi peccaverunt. Hoc igitur peccatum fert secum infans ex utero
 „ matris, quod quia non aliter in posteris Abrahæ, nisi in circumcissione tollebat, hinc ad-
 „ pareat verissime dictum, animam infantis, qui non foret circumcisus, deletur in de po-
 „ pulo DEI. Hæc est *Augustini* argumentatio, qui cum ait, *Circumcisionem non valuisse ad*
 „ *regenerationem & renovationem sicut valet Baptismus, sed ad significationem ejus; non ne-*
 „ *gat, in circumcissione deletum fuisse peccatum & datam homini gratiam, verum signi-*
 „ *ficat, id non esse factum virtute circumcissionis, sed ejus fidei ac Justitiæ, quam significabat*
 „ *circumcisio, & quam Sacramentaliter profitebatur, qui circumcisionẽ accipiebat. Huc*
 „ *spectavit Augustinus, cum alibi dixit, illos Patres sanctos V. T. & circumcisionem carnem habu-*
 „ *isse propter signaculum fidei, & circumcisionem cordis propter ipsam fidem. Ipsa Augustissimi*

lib. 2. de
Nupt. &
Concu-
plisc. c. 1.

Doctoris verbi hanc exhibentia sententiam, prout *Pererius* citat, hæc sunt: *Ex quo instituta*
 „ *est circumcisio in populo DEI, quod erat tunc signaculum Justitiæ fidei, ad significationem par-*
 „ *tationis valebat parvulus originalis veterisq; peccati, sicut & Baptismus ex illo valere cepit ad*
 „ *renovationem hominis, ex quo est institutus; non quod ante circumcisionem Justitiæ fides nulla*
 „ *esset quippe cū adhuc incircumcisus ex fide justificatus fuerit ipse Abraham, sed quod superioribus*
 „ *temporibus non fuerit Sacramentum aliquod Justificationis ex fide. Eadem tamen fides Media-*
 „ *toris salvos faciebat justos illos antiquos, pusillos cum magnis; non autem Verus Testamentum,*
 „ *quod in servitutem generat; non lex Moysi, quæ vivificare non poterat, sed gratia DEI per IESUM*
 „ *CHRISTUM Dominum nostrum. Quia sicut nos credimus Christum venisse in carne, mor-*
 „ *tuum*

tuum esse & resurrexisset, ita illum venturum, moriturum & resurrecturum crediderunt. Ad-
dit Pererius, huic Doctrinae ac sententiae Augustini planè subscribere Gregorium cogno-
minem magnum, item Bedam, quorum verba his familia prolixè recitat, ibi legenda. Ego
Lombardum subjungo, qui ubi de Sacramentorum utriusque Testamenti differentiâ ex Augu-
stino egit, hanc de Sacramento circumcisionis exceptionem adposuit, scribens: *Fuit tamen*
inter illa Sacramenta Sacramentum quoddam, scilicet circumcisionis, idem conferens remedium
contra peccatum, quod nunc Baptismus praestat. Et cum Augustini & Bedae in hanc rem testi-
monia, quamvis aliquantò concisius adduxit, de suo addidit: *His aperte traditur, per cir-*
cumcisionem ex quo institutus fuit, remissionem peccati originalis & actualis, parvulis & majo-
ribus à Deo praestitam, sicut nunc per Baptismum datur. Accedat etiâ Esthins, ad cap. 4. Dom.
observans, quod etiam non facile quis reperiat Augustino prior, qui in signaculo circumci-
sionis virtutem animas à peccato mundandi agnoverit, hæc opinio tamen post Augusti-
num, eoque ut adparet Authore, multum apud Latinos fuerit recepta. Plura his familia & a-
liorum, & ipsius Augustini testimonia adduci opus non est, cum & pauca hæc in præfens
sufficere possint lectori veritatis Evangelicæ studio, ne de sinceritate & orthodoxiâ do-
ctrinae Augustini in hac etiam Controversiâ dubitare cogatur, utpotè cujus testes non u-
nos ex antiquis pariter & recentioribus habet, eosque non nisi majoris inter suos æstimii, &
indè hic etiam non vilipendendos.

Vna nunc adhuc est super observatio, in gratiam augustissimi Doctoris non præter-
mittenda. Ut enim Bellarminus argumentum Augustini & cæterorum ejus sequacium pro
virtute & efficaciâ Sacramenti circumcisionis potè errat, ad caput Exodi quartum provo-
cat, ubi Dominus Moſen occidere voluerit, quia filium suum non circumciderat. Pro con-
firmatione addit: *Quamquam Augustinus ostendere conatur, non Moſen ipsum, sed filium ejus*
in periculo fuisse ob incircumcisionem, res tamen est clarissima. Fateor, præter Tertullianum ex
antiquioribus, & aliquos Judæorum Doctores, per paucos esse inter Christianos, quibus hæc
Augustini sententia arrisit, plerisque communem ferentibus viam. Est tamen celebris nostra
partium Theologus, maximam cum laude in Ecclesiâ Dei docens, qui pro hac Augustini
sententiâ non pauca advertit, lectori hic amicè comunicanda. Provocat autem laudatissi-
mus scriptor ad antecedentia in citato capite Exodi quarto verba, quibus Moſen in Ægy-
ptum Dei jussu cum uxore & filiis tum adhuc incircumcisis profecturum Deus ita legitur
adlocutus: *Quum abeas & revertaris in Ægyptum, vide omnia miracula, quæ posui in manu*
tuâ, & facies ea coram Pharaone. Sed ego obfirmabo cor ejus, & non dimittet populum. Tum di-
ces ad Pharaonem, sic dixit Jehova: Filius meus, primogenitus meus, est Israel; & dixi tibi, dimit-
te Filium meum ut serviat mihi. Sed tu renuisti dimittere eum. Ecce, ego interficiam filium tuum
primogenitum. Ad hæc sacri textus verba laudatus scriptor sequentia monet: Hic verba om-
nia, quod sciam, omnes unanimi consensu interpretes de Pharaone loqui statuunt, in pri-
mis etiam ultima, in quibus dicitur, *Ecce, ego interficiam filium tuum primogenitum.* Verum
enim verò, quod cum bona eorum veniã dixerim, aliter sentio. Nam quemadmodum in
hoc facile consentio, quod usque ad posterius ultimi versus hemistichium de Pharaone lo-
quantur, & gerendis coram atque cum eo, nec aliter intelligi possint; sic dicti posterioris he-
mistichii verba, *Ecce, ego interficiam filium tuum primogenitum,* ad Moſen de primogenito
ipsius filio dicta esse omnino statuo, coherentiam & sensum brevi hæc Paraphrasi exponens:
Et cum Moſes jam in viã esset cum uxore & filiis suis, dixit ad eum Dominus: Ecce, tu jam abis in
Ægyptum cum uxore & filiis tuis, & quando veneris eo, omnia miracula, quorum faciendorum po-
testatem tibi jam dedi, facturus es coram Pharaone; nam omnino ista stent, sicut promisi, neq;
meum mutabo verbum. Quumq; futurum est, sicut tibi futurum prædixi, ut induretur jussu meo
judicio & sapienti permissione cor Pharaonis ab ipsomet Pharaone, impio homine, adeo, ut non di-
mittat populum, in dicturus es illi, sic dixit Jehova: Filius meus, primogenitus meus, populus
mibi tam charus, o Pharaon, est Israel, quam tibi tuus est primogenitus, imò cujus omnes primo-
geniti Sacerdotes mei esse debent. Hunc filium meum jussi te dimittere, ut mihi serviat; tu verò
renuisti dimittere &c. Hec inquam, o Moſes, tu meo nomine locutus es ad Pharaonem, meo
nomine ipsi mandabis & exprobrabis; nec tamen interim curas, quid ipse facias, quando ne
quidem primogenitum per tempus adeo longum circumcidisti, ut de recens nato nihil dicam.
Num verò putas, me istud tolerare diutius posse, in hac in primis profectione & legatione tuâ,
ubi summos esse poterit scandalo. Non sanè; Ecce enim, dico tibi, quod filium tuum primo-
genitum sim interfecurus; nisi cum sine morâ ulteriori circumcideris; faciamq; istud, ut te in posterum
reddam cautiorem. Addit, statuimus hoc propterea, primo, quia aliàs nulla videtur esse rerum coha-
rentia quo ad antecedentia. Quem enim quæso in finem hic commodè subiecta dici possunt, quæ de mi-
raculis in Ægypto perpetrandis, Pharaone obfirmando, & primogenito ejus interficiendo habentur?
Quid pertinet hoc omne ad iter Moſis cum uxore & filiis; Non invenio apud commendatores quidquam,
nisi quod ajunt, dicta esse hæc omnia ad confirmandum Moſen, à Deo nimirum, qui juxta eorundem senten-
tiam Moſi mortè intentaturus erat. Secundo, quia aliàs nulla etiâ est cum consequentibus coheretia. Nam

lib. 4.
dist. 1.
lit. F.vid. Th.
Hacksp.
ad h.
loc.D. Seb.
Schmid
Tract.
de Cir-
cumcif.
p. 260.
scqq.

DEUS vel occurrit Mofi interfecturus eum, vel filio ejus. Si filio, intelligendus est hic per suffixum pronominalis; & tamen non præmissa est ejus mentio, ut commodè pronomen eò respicere possit. Si Mofi, quomodo interficere eum voluit Dominus, quem modò de officio strenuè obeundo sine ullo iræ indicio adhortatus est? *Tertio*, qui unius alicujus primogeniti sit mentio. Atqui Moses debeat Pharaoni dicere non de uno salutem primogenito, sed de omnibus per totam Ægyptum. *Quarto*, etiam si nostrâ sententiâ sit Ellipsis aliqua, illa tamen facillè ita suppleri potest: Tu dices Pharaoni, sic dixit Jehova, Filius meus, primogenitus meus est Israël; idè dixi ad te, dimitte filium meum, ut mihi serviat, & tenuisti dimittere eum. Sicut exprobrabis Pharaoni, qui ipse tamen tecum habes filium tuum primogenitum, quem mihi non obtulisti per circumcisionem ad servitium meum; itaq; ego occisurus sum istum filium tuum primogenitum. Et deinceps optima est tam cum antecedentibus, quàm cum consequentibus coherencia. Nam quoad antecedentia satis manifestè adparet, quâ ratione Deus de Pharaone loquendi, quæ loquitur habuerit occasionem, & quem in finè ea dixerit, ut scilicet mosen convinceret, quam malè hæcenus fecisset, quod filium non circumcidisset, & quam justè interfecturus sit filium DEUS, si non circumcideret eum. Quoad verò consequentia perspicimus erit nexus, quod & quare Deus, occurrerit filio Mofi, eum interfecturus. *Quinto*, prævalet etiam in hæc nostrâ sententiâ, quod in eâ manifestum sit, quâ ratione Zippora in cogitationè de circumcidendo filio descendit; quia scilicet ex mose perceperat, quod Deus esset cominatus, eum se interfecturum, nisi circumcidatur. Hinc illa de modo periculum avertendi satis certa fuit, & avertit illud; cum mirum sit in sententiâ contrariâ, undè cognoverit Zippora, remedium adferri posse sive marito, sive filio per circumcisionem? Sed & aliæ evanescent difficultates, quæ sic se habent, ut profecto non sine fundamento emergant, positæ interpretum sententiarum circa sequentem in Mose Textum: *Et fuit in viâ, in diverforio, & occurrit illi Jehova, & quasi fecit eum interficere. Tum accepit Zippora cultrum, & amputavit præputium filii sui, & projecit ad pedes ejus, & dixit, quoniam sponsus sanguinum tu mihi es.* In his verbis quæ sunt difficultates, videri potest non in Christianorum modo interpretum, sed & Ebræorum R. Salomonis, *Aben-Esra*, *Rambanis* aliorumq; Commentariis; quæ facillè ex nostrâ dispelluntur sententiâ, ita namq; jam fluent omnia: *Et fuit*, Moses, ad quem Dominus istud erat locutus, *in viâ, in diverforio*, h. e. quam primùm pervenit in diverforiũ, eum paulò ante Moses Zipporæ cominationem divinam indicasset, *quum occurrit illi*, primogenito Mofi filio, de quo Dominus ipsi dixerat, ecce, ego occido filium & c. *Jehova, & quasi fecit*, sicut cominatus erat, *eum occidere. Tum verò Zippora*, quæ hæcenus impediverat circumcisionem, & adhuc dum in diverforio impedire conata fuerat, in summo hoc necessitatis casu, *adprehendit*, quem secum habebat, *cultrum, & amputavit præputium filii sui*, indignabunda tamè *proiecit ad pedes ejus*, Mofi, inter quem & filium ejus distinctionè fecit scriptura per hoc, quod nomen filii expressè posuit, *& dixit, quia sponsus sanguinum*, ò Moses, *tu mihi es.* Subjungit pro ulteriori hujus Paraphrasis confirmatione: Quod alii putant, de Mose sermonem esse, quem Dominus voluerit occidere, non sine ratione ab *Aben-Esra* & præcipuis Rabinorum negatur. Et sanè, quæ de morbo Mofi dicunt, nescio, quantum displiceant. Aliud namque est, occurrere alicui ad interficiendum, aliud morbum immittere. Et adparet, quod id tantum esset effectum ad excusandum Mosen. Potius dicèdum est, quod Dominus puero occurrerit, quam primùm veniretur in hospitium, & ante-quàm circumcisio à Mose institui posset commodè; vel quod mulier imperiosa Mofi circumcisuro adhuc dum resisterit, & puerum in suum receperit sinum, ubi verò Deus intervenerit rixis, occisurus in iplo matris sinu puerum, nisi illa circumcidisset festinabunda. Projecit autem mox ante Mofi pedes præputium, non sine indignatione quidem, simul tamen, ut & huic satisfaceret, ipsi præputium ostendendo, undè cognosceret, quod verè filius esset circumcisus, nec ulla daret verba. Quod verò alii de minore natu filio Mofi, qui circumcisus hic sit, interpretantur, in nostrâ sententiâ literæ scripturæ, quæ expressè loquitur de primogenito, adverteatur; & est aliqui sententia, quæ parum probabilitatis habet.

Hæc omnia laudatus ille scriptor & adhuc ibidem plura, ut ingeniosè satis & acutè, ita num sufficienter etiam & satis aptè ad firmandam & vindicandam *Augustini* sententiam contra non unas Bellarmini & aliorum objectiones & exceptiones, judicium tu lector erudite; Ego enim nunc unà tecum ad alterum in posteriori vindiciarum capite oraculum ex Augustini autoritate pro Sacramentorum V. T. virtute & efficaciâ illustrandum me confero, quo Paulus de Mannâ Ebræorum & de Aquâ è Petris capturiente scripsit: *eandem escam Spiritualem manducarunt, & eandem potum Spiritualem biberunt & c.* Inter quatuor autem difficultates, quas argumentum ex his verbis desumptum habere scribit Bellarminus, quartam & ultimam esse dicit ex Augustino, ad hoc apostoli oraculum observante, *Sacramenta Iudaorum & nostra fuisse quidem in signis diversa, inter*

1. Cor.
10.

autem, quæ significatur, paria, diversa specie visibili, paria virtute spiritali. Et si autem hoc Augustini pro pari virtute & efficaciâ Sacramentorû utriusq; Testamenti testimonium satis clarum & manifestum videatur, non tamen sua Glosâ illud præmittere potuit, Bellarminus, de qualicunq; responso omni modo sollicitus. Hinc ausus est scribere, Augustinum nusquam dicere, Sacramenta nostra & vetera esse paria quoad efficaciam, sed tantum quoad significationem seu rem significatam, quia nimirum eundem Christum omnia significant. Et ubi ad loca Augusti Doctoris parallela provocavit, de iis monuit & observavit, ubiq; cum hoc repetere, diversa fuisse signa, & unam rem significatam, id est, Christum. Postquam verò etiam accusavit Calvinum, quasi verba Augustini non integrè & bonâ fide adduxisset, pro cuius fide Evangelicorum non est respondere; aliam adhuc addidit Bellarminus observationem de Augustini sententiâ, *Ejus videlicet expositionem, quâ per eandem escam spirituales intelligit significari, eadem esse Sacramenta vetera & nova quoad vim significandi, & inde illam escam esse dictam spirituales; non esse quidem contra Papistas, non tamen esse necessariò sequendam.* Subjungit causam: Nam si per escam spirituales intelligeremus escam spiritaliter intellectam, ut vult Augustinus, tunc soli cam iusti manducassent; id quod fateretur Augustinus, & ideò notat Paulum dixisse, *Patres nostri*, non autem Patres vestri, quia loquebatur solum de iustis, qui nobis sunt similes; Christum verò dixisse, *Patres vestri manducaverunt Manna*, non Patres nostri, quia loquebatur Dominus de malis Judeis, qui non manducaverunt illam escam spiritaliter. At hoc repugnat verbis Apostoli, scribit contra Augustinum Bellarminus, qui ait, *Patres nostri omnes eandem escam spirituales manducaverunt &c.* Et per omnes intelligit non omnes iustos tantum, sed omnes absolute, tam bonos, quàm malos, qui in deserto fuerunt, subjungit enim, *sed non in pluribus eorum beneplacitum est Deo, & paulò ante dixerat, Patres nostri omnes sub nube fuerunt, & omnes mare transierunt.* At certè non boni tantum, sed etiam mali sub nube fuerunt & mare transierunt. Verior igitur est Chrysostomi & Cyrilli Alexandrini, & aliorum interpretum expositio. Nec mirum esse debet, si Chrysostomum in huius loci expositione anteponamus Augustino; nam ille scripsit Comentariorum ex professo in hanc Pauli epistolam, hic autem obiter explicuit hunc locum in Comentiariis in Iohannem. Libuit hoc Bellarmini responsum Augustini sententiæ oppositum ut ut aliquanto prolixius huc adponere, ut hoc etiam documento videat lector Augustini auctoritatem maximè ex debito faciens, quam liberè Bellarminus, id quod ab aliis etiam scriptoribus Patris solet fieri, ab Augustino discedat, licentiamq; sibi sententiæ eius deserendi sumat, ut ut aliàs, uti suis inservire videtur hypothèsibus, magno cum adplausu ad ejus provocans auctoritatem. Ne autem ulla Augustissimo Doctore inferatur injuria, ipse propriis suam exponat verbis sententiâ, Christi de semet ipso verba, *Hic est Panis, qui de Cælo descendit, sequentè in modum explicans: Hunc Panem significavit Manna, hunc panem significavit Altare Dei. Sacramenta illa fuerunt. In signis diversa sunt, sed in re, quæ significatur, paria sunt. Apostolum audi: omnes eandem escam spirituales manducaverunt. Spirituales utiq; eandem; nam corporalem alteram, quia illi Manna, nos aliud. Spirituales verò, quàm nos. Sed patres nostri non patres illorum; quibus nos similes sumus, non quibus illi similes fuerunt. Adjungit, & omnes eundem potum spirituales biberunt. Aliud illi, aliud nos; sed specie visibili quidem, tamen hoc idem significante virtute spiritali. Quomodo enim potum eundem? Bibebant de spiritali sequente Petra; petra autem erat Christus. Inde Panis, inde potus. Petra Christus in signo, verus Christus in verbo & in carne. Alibi adhuc clarius Pater sanctus: Mare rubrum significat Baptismum, Moyses ductor per mare rubrum significat Christum, populus transiens significat fideles, mors Aegyptiorum significat abolitionem peccatorum. In signis diversis eadem fides. Sic in signis diversis, quomodo in verbis diversis, quia verba sonos mutant per tempora, & utiq; nihil aliud sunt verba, quàm signa, significando enim verba sunt. Tolle significationem verbo, strepitus est inanis. Significat ergò sunt omnia. Numquid non eadem credebant, per quos hæc signa ministrabantur, per quos eadem, quæ credimus, prophetata prænuñtiabantur? Vix, credebant, sed illi ventura esse, nos autem venisse. Ideò & sic ait, Eundem potum spirituales biberunt; spirituales eundem, nam corporalem non eundem. Quid enim illi bibebant? Bibebant enim de spiritali sequente petra, petra autem erat Christus. Videte ergò, Fide manente, signa variata. Ibi petra Christus, nobis Christus, quod in Altari ponitur. Et illi pro magno Sacramento ejusdem Christi biberunt aquam profluentem de Petra; nos quid bibamus, norunt fideles. Si speciem visibilem intendas aliud est, si intelligibilem significationem, eundem potum spirituales biberunt. Posterior hic locus tanquam parallelus optime explicat priorem, quem Gratianus etiam Juri Canonico inferuit, juxta præscriptum Lemma demonstraturus, quomodo Manna & aqua de Petra idem fuerit cū nostro cibo & potu. Ut mirum non imeritò & hic videatur, ausum fuisse Bellarminum scribere, Augustinum nusquam Sacramenta vetera & nova scribere paria esse quoad*

Tract. 26.
in Joh.

Joh. 6.

Tract. 45.
in Joh.c. Inquit.
dist. 2. de
Conscir.

quoad efficaciam, sed tantum quoad significationem seu rem significatam. Quid enim, quæso, Augustinus potuisset dicere pro identitate Sacramentorum utriusque Testamenti quoad efficaciam clarius, quam quod ea in re dixit esse paria, eandem utriusque adscribens virtutem spiritalem, apertissime testatus, eandem in signis utrobique diversis esse fidem, & signa fide manente variata? Certè, si hæc identitatem virtutis & efficaciam non sufficienter confirmant, nihil in posterum amplius erit sufficiens. Est autem in consequens planè consequentia, quam Bellarminus ex Augustini verbis, non ritè intellectis & adplicatis, necdètere est conatus, scribens: *Si per escam spiritualem intellegeremus escam spiritualiter intellectam, ut vult Augustinus, tunc soli iusti eam manducassent, id quod fateitur Augustinus &c.* Neque enim dixit sanctus Pater, Escam à Paulo spiritualiter intellectam vel spiritualiter intelligi debere, sed escam fuisse spiritualem verò, & spiritualem ab Apostolo dictam, sicut & potum, ob virtutem videlicet spiritualem, Fide adprehensam. Neque etiam si id dixisset Augustinus Doctor, sequeretur, *solos eam iustos manducasse, vel solos eum iustos bibisse.* Notanter enim ipse Augustinus in antecedentibus paulò verbis distinxit inter ipsum Sacramentum & inter virtutem Sacramenti.

Joh. 6.

Quia nec ritè intellexit Bellarminus mentem Augustini sermonem Christi & Pauli de Patribus vestris & nostris inter se conferentis, & ita quidem, ut scopum utriusque indicaret. De Christi scopo ita suam exponit mentem, sequentia eius verba explicans: *Patres vestri manducaverunt in deserto Manna, & mortui sunt. Quare manducaverunt, & mortui sunt? Quia, quod videbant, credebant, quod non videbant, non intelligebant. Ideo patres vestri, quia similes estis illorum.* Et post aliqua: *Manducavit & Moyses, nimirum Manna, manducavit & Aaron, manducavit & Phineas manducaverunt multi, qui domino placuerunt, & mortui non sunt. Quare? quia visibilem cibum spiritualiter intellexerunt, spiritualiter esurierunt, spiritualiter gustaverunt, ut spiritualiter satiantur. Nam & nos hodie visibilem accipimus cibum; sed aliud est Sa-*

cramentum, aliud est virtus Sacramenti. Quam multi de Altari accipiunt & moriuntur, & accipiendo moriuntur. Unde dicit Apostolus, *iudicium sibi manducavit & bibit.* Et iterum post aliqua: *Patres ergo istorum, id est, mali patres malorum, infideles infidelium patres, murmuratores murmurantium patres. Nam de nullare magis populus ille Dominum ostendisse dicitur est, quam contra Deum murmurando. Ideo & Dominus volens ostendere, eos talem esse filios, hinc ad eos: Quid murmuratis invicem murmuratores, filii murmurantium? Patres vestri manducaverunt Manna, & mortui sunt; non quia malum erat Manna, sed quia male manducaverunt.* De Pauli scopo aliter Augustinus, quia Paulus ad alios scripsit: *Patres nostri, non illorum; quibus nos similes sumus, non quibus illi similes fuerunt.* Hæc si inter se ex debito ad mentem Augustini, vel potius juxta scopum Christi & Pauli conferantur, nulla erit inter Paulum & Augustinum repugnantia, ut Bellarminus quidem sed male putat, vanitasque illius consequentiæ, quam ex ejus verbis, ut dixi, male intellectis in consequenter necit Bellarminus, per se evanescet, ac identitas Sacramentorum utriusque Testamenti quoad virtutem eorum & efficaciam, certo quamvis gradu oblectato, clarè satis adparebit. In hujus rei gratiam & ad uberiorem ejus illustrationem juvat nunc superponendi loco adicere, quod *Iohannes Gagnæus* Sorbonista Parisinus, ante hoc seculum, Augustinum quidem non nominato, attamè ad ejus mentem, oraculo Pauli ex Augustino hæcenus enucleato & vindicato adposuit Scholion: *Admonet Corinthios Paulus, ne de Donis à Deo acceptis effertantur, futurum enim, ut per elationem hæc ac alia peccata his excidant donis, & à Christo ejiciantur, idque, exemplo Iudæorum, quos, sicut in figurâ, similibus tamen ab eo donis adfectos probat, sed hinc tamen ob sua excidisse delicta. Sicut enim in Spiritu S. & Aquâ baptizati servitutem veri Pharaonis excusserunt, Christi carne pasti & ejus sanguine potati sunt; ita Patres Iudæi excussa Pharaonis servitute & transgressi Maris rubri quodam modo in Mari & Nube baptizati sunt, similitudine scilicet. Quod autem illis Nubes protegens, conducoens ac refrigerans; id nobis Spiritus Sanctus, actio nem nostrarum dux & protector, libidinumq; moderator & extinctor. Quod illis Mare, hoc Corinthiis & omnibus Christianis Aqua Baptizantis. Corinthii carnem Christi manducabant, illi figuram ejus Manna, quam spiritualem Apostolus vocat escam &c.* Accedere huc potest *Fromondus*, Professor non ita pridem Lovaniensis, qui explicationem Augustini posse locum habere agnoscit, Chryostomi sententiam cum eâ conferens, quem Bellarminus tamen hic Augustino opposuit, id quod etiam documento est, Bellarminum Augustini verba non ad mentem ejus percepisse, & hinc cum Larvis hic pugnasse.

CAPUT VIGESIMUM & PRIMUM,

De
Charactere.

Hoc nomen vel vocabulum secut Bellarminus dicit accepisse Scholasticos ab Augustino, cæteris ante eum Patribus vocabulo signi aut signaculi utentibus, cum resta-

men fit eadem; ita ubi eius demonstrationem ex Augustino dare conatur, præter novem loca hoc in primis testimonium verbotenus ex eo comendat, quo characterem hunc Sacramentalem probati posse nullus planè dubitavit, ubi sanctus Pater ita scripsit: *Satis eluxit Pastoribus Ecclesia Catholica toto orbe diffusa, per quos postea plenarii Concilii autoritate originalis consuetudo firmata est, ovem, quæ foris errabat, & Dominicum characterem à fallacibus depredatoribus suis acceperat foris, venientem ad Christianæ unitatis salutem, ab errore corrigi, à captivitate liberari, à vulnere sanari; characterem Dominicum tamen in eâ agnoscipotius, quàm improbari.* Ad hoc testimonium & cætera Augustini aliorumque Patrum loca illud solum respondere posse censet Bellarminus, à Patribus, adeoque ab Augustino etiam, non vocari characterem seu signaculum id, quod ipsi Doctores Patrum dicunt, *sed externum modo Symbolum;* Augustinum certè in sermone *de gestis cum Emerito* tria dicere, quæ valdè videantur huic solutioni favere. *Primo*, exterius characterem cognosci & agnitum ad probari. *Secundo*, quod, si Donatus in nomine Donati baptizaret, Donati characterem infingeret; ad Donati characterem in animâ infixum esse nullum posse. *Tertio*, characterem esse ipsam Trinitatis invocationem, quæ fit in Baptismo, secundum ipsa Augustini verba: *Attendo fidem in nomine Patris, Filii & Spiritus Sancti. Iste est character Imperatoris mei. De isto characterem militibus, vel Comitibus suis potius, ut hunc imprimerent eis, quos castris ejus congregabant, præcepit, dicens: Ite, baptizate gentes in nomine &c.* Respondet autem Bellarminus, characterem apud Augustinum & alios Patres non posse externum esse Symbolum seu Sacramentum. Nam *primò* eos dicere, hoc signaculum esse in animâ, non in corpore, ut *Cyrillus Hierosolymitanus*; vel esse spirituale, ut *Ambrósius*; vel opponere cauterio Circumcisionis, quod erat in corpore, ut *Epiphanius & Chrysostomus*; vel deniq; esse quandam consecrationem, ut *Augustinus*. *Secundo* eos dicere characterem hunc hæere & manere, id quod externo non conveniat Symbolo Augustino ita scribere: *Non minus Christiana hærent Sacramenta, quam Nota corporalis;* lib. 2. contra Epist. Parmen. cap. 13. *cum videamus, nec Apofat. as illis carere, quæ propterea illis respicientibus non restituntur, quia amitti non potuerunt.* Idem alios habere Patres, qui dicunt esse sigillum indelebile, ut *Cyrillum* modo laudatum, *Nazianzenum*, & alios. Huc etiam spectare Augustini locutiones, ubi characterem dicit *infigi, imprimi, portari* & alia, quæ in actionem transeuntem quadrare non possint. *Tertio*, si Symbolum externum diceretur à Patribus character vel signaculum, omnia Sacramenta imprimerent characterem; omnia enim sunt externa Symbola promissionem obfignantia, & tamen nullus Patrum unquâ per Eucharistiam dixit imprimi characterem. In specie ad loca Augustini in contrarium laudata Bellarminus respondet primò characterem posse exterius videri & cognosci, non in se, sed in suâ causâ. Cum enim cognoscimus aliquem ritè baptizatum, simul cognoscemus infixum illi characterem, quia hic est effectus, qui semper & necessariò illam sequitur causam. Et quod hoc satis fit, patet. Nam actum etiam externum non videmus, postquam transit. Quare nec de Symbolo externo Augustinus rectè potuisset dicere, illud videri & agnoscere, quando ad Ecclesiam veniunt, qui ab hæreticis fuerant baptizati. *Secundo*, ad illud de characterem Donati, Augustinum loqui non absolute, sed ex hypothesi. Voluisse nimirum dicere, si Donatus in nomine suo posset Sacramenta conferre, suum imprimeret characterem. Alioquin nõ ignorabat Augustinus, Baptismum in nomine Donati collatum non modo imprimere characterem in animâ, sed neque esse Sacramentum externum. *Tertio*, invocationem Trinitatis & ipsum totum Symbolum externum dici posse characterem non impressum, sed imprimentem. Ut enim eadem Imago est in sigillo & in cerâ; sed imago sigilli est character imprimens, in cerâ autem est character impressus; ita Sacramentum externum ac præcipuè Sacramenti forma est character imprimens, cum ad ejus collationem mox sequatur character in animâ, ac ex vi & impressione Sacramenti sequatur. Ad hoc tergeminum Bellarmini responsum in genere notandum venit ipsum characteris nomen sano intellectum sensu & Sacramentis adplicatum ob Augustini in primis auctoritatem non ad eò ingratum esse Evangelicis. Quo autem sensu à Papæis, recentioribus pariter & antiquis adhibetur, accedente, præsertim Tridentino anathemate nimis duro & duro, cum is neque ex S. Scripturæ oraculis, neque ex orthodoxæ Antiquitatis, & ex eâ Augustini testimoniis possit liquidò demonstrari, dissensus noster omninò ægrius ferri non debet. *Chemnitius* in examine hujus de characterem Decreti è *Biele*, notissimo inter Scholasticos scriptore, multa observavit notatu dignissima, nimirum, dicere eum & probare, *vocabulum characteris, in eâ quidem significatione & sententiâ, quam ex eò prolixè fatis expressit, & quam post Tridentinam explicationem Bellarminus aliquot propositionibus illustravit, nec in Scripturâ, nec in vetustis Scriptoribus Ecclesiasticis extare, ita ut nec ipse Lombardus*

mentio-

mentionem characteris faciat, in tali quidem significatione & sententiâ. Addit pro confirmatione, Quod Lombardus dicit, eos, qui ab hereticis servato Christi characteris sunt baptizati, non esse rebaptizandos; intelligit formam verborum Baptismi à Christo traditam.

NB. Quod ipsam verò rem atinet, eundem monere Bielem, nec necessariam demonstrare rationem, nec evidentem Patrum auctoritatem probare, talem esse ponendum characterem; Sententias enim, quæ ex Dionysio, Augustino, Damasceno & Lombardo adducuntur, ferè & magis pertinenter ad Authorum mentem de ipso Baptismi Sacramento exponi, aut de forma sacramentali, quam de aliquo realiter animæ impresso characterè. Declaratis porro illis Patrum sententiis Bielem repetere, neque auctoritates sacræ scripturæ, neque sanctorum Patrum cogere, ut ponatur talis character ad hunc intellectum, quo à recentioribus accipitur Doctoribus; & rationem nullam esse necessariam, quæ demonstrat, talem esse seu imprimi characterem. Omnia enim, quæ ei attribuuntur, æque solvi posse sine characterè, quam cum eo. Item illa, quæ characteri tribuuntur, inveniri in Eucharistiâ & in cæteris, quæ characterem non imprimunt. Tandem concludere, omnes, quæ adducuntur, rationes, esse persuasiones, non ex necessariis procedentes; & quæ de characterè dicuntur, præ magnâ parte esse voluntaria, & modica ratione fulciri. Illam quoque rationem, quæ præcipue scholasticos ad ponendum characterem movit, quod nimirum Baptismus non sit iterandus, non esse necessariam; cum in iterabilitatis Sacramentorum principalis ratio non sit impressio characteris, sed sola Institutio Divina. Et minus manifestum esse, esse characterem, quam non posse iterari Baptismum; hoc enim à tempore Institutionis fuisse certum, illud verò ne hodie quidem evidenter esse certum. Bellarminus quod his à Biele monitis opponat, habuit nihil, ideò pleraque tristis prætermisit silentio, duo tantum ex eo observans, primum, dubitasse eum, an Ecclesia id definierit, quod nimirum de characterè docetur, & quod Tridentini Patres sub anathematis fulmine definiuerunt; & tamen dicere, esse præsumtuosum negare characterem. Alterum, rationem ejus, quod videlicet Institutio Divina sit causa, cur quedam Sacramenta iterari possint, quedam non possint, parum valere; non enim sine magnâ ratione Deum prohibere rem tam utilem repeti. Inter & post alios plures hanc Controversiam tractantes Vasquez sequenti responso Biele monita cludere & elidere se posse existimavit: Quamvis Gabriel, Occam & Scotus contendant, nihil ex Patribus vel ex scripturâ probari posse de characterè, id tamen verum non est. Fateor tamen, Testimonia, quæ adduci solent à scholasticis tempore scoti & Gabrielis, nullius esse momenti, ut ipsi aperte ostendant. Dum Biel nunc ad manum non est, juvat Scotum consulere, an is de aliis Augustini pro characterè testimoniis, quam quæ à Bellarmino & Vasquez adducuntur, fuerit locutus, adeoque num Vasquezii exceptio aliquem possit habere locum? Is igitur in quantum sententiarum, ubi ostendit, auctoritates, quæ pro characterè ex Dionysio, qui communiter Areopagita dicitur, & cui opus Ecclesiasticæ Hierarchiæ cum aliis adicribi solet, ut & ex Damasceno adducuntur, videri tantum esse vocales, & non ad intentionem eorum de Damasceni nominatim auctoritate duplici testatus, valde inceptè eam adduci & nihil valere, addidit; Hoc etiam confirmatur, quia Augustinus, qui tantum tractavit ex intentione de Baptismo, ut potè in sexto libro contra Donatistas de Baptismo, & in uno volumine de unico Baptismo, & præter hæc multa super Iohannem, & aliqua in aliquibus, capite de Fide ad Petrum, non tacuisset de characterè, si ipsa (fortitan, ipsi) fuisset immediatus & necessarius Baptismi effectus. Et si dicas, non negat, nimirum Augustinus. Respondè, ad propositum sufficit, quod non adfirmet; quia tantæ investigationis supponitur, quod si character fuisset proxima res Baptismi, alicubi expressisset. Tunc autem in Baptismo non distinguit, nisi Sacramentum, hoc est, aliquid visibile extra, & rem Sacramenti, scilicet gratiam; nec unquam fictum dicit recipere aliquam rem Sacramenti; sed tantum Sacramentum, nec unquam iterabilitatem Baptismi ostendit propter talem impressum characterem. Addit in genere de auctoritatibus Patrum: Consimiliter etiam, de Consecratione distinctone quartâ colliguntur auctoritates sanctorum de Baptismo, nec videtur verisimile, quod nullus eorum locutus fuisset de characterè, si fuisset effectus Baptismi necessarius; & quod videtur multum ponderis habere, Magister sententiarum nusquam de characterè illo secundum istum intellectum locutus est, cum tamen ipse diligenter auctoritates sanctorum de Materis, quas tractat, compilaverit. Et in questionibus, quas reportationes vocant, super eundem librum: Non invenitur in scripturâ character ad istum intellectum; sed in uno loco character Bestiæ, (Apoc. 13.) nec etiam invenitur hoc in Fide, neque in dictis Augustini, qui tamen mirabiliter multum loquitur de istâ materiâ; sed dicit Augustinus, aliquando suscipit Sacramentum, & non rem. Et post aliqua Augustinus tertio contra Donatistas libros tres dicit characteres, sed capit ibi characterem pro Baptismo.

in 3. part.
Tom. II.
Disp. 134.
num. 20.

dist. 6. qu.
9.

dist. ead.
qu. 8.

Baptismo. Unde nihil est ad propositum, ubicunque inveni Augustinum loqui de charactere. Vide lector optime & judica, an Vasquez de Scoto rectè scripserit, ad alia eum Augustini testimonia de charactere respectum habuisse, quàm quæ ad ejus confirmationem hodiè laudari solent?

CAPUT VIGESIMUM & SEPTIMUM,

De

Numero Sacramentorum.

Non attentis hic iis in specie testimoniis, quæ Bellarminus ad demonstrationem quinque Sacramentorum, ab Evangelicis nondum hætenus receptorum, neque recipiendorum, sicut ex aliis Patribus, ita ex Augustino etiam adduxit, quia in posterum iterato sub examen singulari tractatione recurrent; hinc in antecessum illo tantum ex antecedentibus observato, Augustinum ut & cæteros Ecclesiæ Doctores plerosque, vocabulo Sacramenti in sensu ampliori usos esse, quod supra ex *Chemitio* pluribus ostensum fuit exemplis, & ipse Bellarminus agnoscere debuit, ubi, nescio, contra quem, operose demonstravit, Lotionem pedum non esse Sacramentum, ingenuè falsus, multa à veteribus, præter illa septem, quæ Papæ numerant, dici Sacramenta, & Augustinum in specie signum crucis vocare Sacramentum, eas item ceremonias, quæ ante Baptismum fiunt, dicere Sacramenta, Panem quoque benedictum, qui olim Catechumenis dabatur, adpellasse Sacramentum; Id ante omnia in primis est notandum, quod Bellarminus ad numerum Sacramentorum septenarium ex orthodoxâ antiquitate in terminis demonstrandum, neque Concilii alicujus antiquioris decreto, neque ullius antiqui patris, adeoque nec Augustini testimonio, per integra duodecim secula usus sit vel uti potuerit, solo ex his *Lombardo*, ex illis autem Conciliis *Florentino* & *Tridentino* contentus, eomet ipso novitatem hujus numeri Sacramentalis agnoscens. Et cum pro numero binario, pro quo tamen non tanquam pro Aris pugnant & foris Evangelici, contra septenarium anathemate Tridentino munitum, & scripturæ & Ecclesiæ Doctorum, interque eos Augustini autoritate pugnetur, neque ibi satis officio facere potuit, quo minus ex hac etiam parte Augustinus Veritatis Evangelicæ testis audiret. Scripturæ testimonium, quod pro Sacramentorum binario ex Augustini sententiâ quasi affirmativam urgeri scribit Bellarminus, exhibet *Sanguinis & Aquæ ex latere Christi in cruce mortui fluxum*, quem præter alios Patres Augustinus etiam de Eucharistiâ & Baptismo intellexit. Bellarminus duo indicat loca, in quorum uno sequentia leguntur: *Dormit Adam, ut fiat Eva; moritur Christus, ut fiat Ecclesia. Dormienti Adæ sit Eva de latere mortui Christi latus lanceâ percutitur, ut profluentia Sacramenta, quibus formetur Ecclesia.* In altero autem hæc: *Ascendat sponsus noster thalami sui lectum, dormiat moriendo, ejus aperiat latus, & Ecclesia Virgo prodeat, ut quomodo Eva ex latere Adami dormientis facta est, ita & Ecclesia formetur ex latere Christi in cruce pendens. Percussum est enim latus ejus, ut Evangelium loquitur, & statim manavit sanguis & aqua, quæ sunt gemina Ecclesiæ Sacramenta. Aqua, in quâ sponsa est purificata; Sanguis, ex quo invenitur esse dotata.* Non ausus est Bellarminus horum Augustini testimoniorum adscribere tenorem, utpotè nimis expressum & clarum, quem nullo obscurare potuisset responso. Multò minus alia ejus plura de hoc fluxu testimonia ausus est citare, ne nimis constantiter ita sensisse videri potuerit augustus Pater, qui alibi etiam id confirmavit, eundem ferè in modum scribens: *Adam, qui erat forma futuri, præbuit nobis magnum Sacramenti indicium, imò Deus in illo præbuit. Nam & dormiens meruit accipere uxorem, & de costâ ejus facta est ei uxor; quomodo de Christo dormiente in cruce futura erat ecclesia de latere ejus, de latere scilicet dormientis, quia & de latere in cruce pendens lanceâ percussio Sacramenta Ecclesiæ profluxerunt.* Iterum alibi, Arcam Noahi tanquam Christi & Ecclesiæ figuram explicans, hæc habet: *Quod ostium Arca in latere accepit, profecto illud est vulnus, quando latus crucifixi lanceâ perforatum est; hæc quippe ad illum venientes ingrediuntur, quia inde Sacramenta manarunt, quibus credentes imitantur.* Bellarminus nihil aliud respondere potuit, nisi ut concederet, non malè ita exponi posse hunc Johannis locum, atque ita exponere Græcos ferè omnes; non tamen ea propter cætera excludi Sacramenta, solum enim duo hæc esse posita, quia sint magis communia & magis principalia & ex illis posse idem fieri de cæteris judicium. Præterea, non esse necessarium, illam sequi expositionem, alios enim æque magis expositores, *Cyrium* videlicet Hierosolymitanum & Hieronymum intelligere per sanguinem & aquam significata esse duo Baptismata, unum in sanguine, id est, *Martyrum*, aliud in Aquâ; *Ambrosium* verò, *Leonem Magnum*, ipsum quoque Augustinum

Joh. 19i

Tract 9. in Joh.

lib. 2. de Symb. ad Catech. cap. 6.

Tract. 15. in Joh.

lib. 15. de Civit. Dei cap. 26.

stinum ac Bedam, intelligere per sanguinem, redemptionis pretium, per Aquam vero Baptisimum, & videri hanc maximè literalem expositionem, ut nimirum intelligamus, ex Christi latere Baptisimum fluxisse, qui omnem vim suam ex Christi sanguine habet. Atqui, cæteris omnibus sepositis, quæ ad ipsius Johanni textus illustrationem pertinent, Augustinus in ejus sensu exponendo sibi met ipso non est cõtrarius, neque diversas super eo habet sententias, multò minus contrarias, cum quæ de redemptionis pretio habet, quod per sanguinem vult intellectum, Sacramentum eucharistiæ non excludant, sed potius includant, id tanquam medium hujus pretii applicativum & confirmativum non obscurè subintelligens, id quod *Johannes Ferus* in suis ad hunc locum Adnotationibus, utut Augustino non laudato, egregiè ostendit, scribens: *Hic effluxus & miraculose contigit, & magnum præfiguravit Mysterium. Sanguine enim redimimur, Aquâ autem abluimur. Tam redemptione igitur, quàm ablutionem nobis attinet mors Christi. Observandum autem, quod nec solus sanguis, nec sola exivit aqua, nihil enim possit aqua sine sanguine, nec quidquâ prodesset, nos esse redemptos, si permaneremus, quales prius eramus, & non etiam ablueremur. Vt ergo esset, unde à peccatis lavar emur, aqua, quæ corporales tantum abluit sordes sanguini, qui pretium nostræ redemptionis est, sociata, ex ejus societate virtutem sumit, ut ad abluendas invisibiles peccatorum sordes digna sit cooperari Sancto Spiritui. Sanguis igitur & aqua, duo certissima fides nostra & Ecclesiæ Sacramenta sunt, nempe Missa & Baptismus. Sanguis effusus est in remissionem peccatorum, & Baptismus est institutus in remissionem peccatorum. Tam magna salus ex hoc vulnere Domini nobis profluxit, per hæc enim duo Ecclesiæ est edificata. Nam per Aquam regeneramur, sanguine nutrimur.* Hæc *Ferus* verè ad mentem Augustini, cujus in super Verba, ad quæ *Bellarminus* respexit, quasi aliam in eis sententiam à priori diversam, de

Tract. 120.
in Joh.
cõf. Ennar.
in Psal. 40.

libent: *Vigilanti verbo Evangelista usus est, ut non diceret, latus ejus percussit, aut vulneravit, aut aliud quid, sed aperuit, ut illic quodammodo vita ostium panderetur, unde Sacramenta Ecclesiæ manaverunt, sine quibus ad vitam, quæ vera est vita, non intratur. Ille sanguis in remissionem fusus est peccatorum, aqua illa salutare temperat poculum, hæc & lavacrum præstat & potum. Hoc prænuuntiabat, quod Noah in latere Arce ostium facere iussus est, quâ intrarent animalia, quæ non erant Diluvio peritura, quibus præfigurabatur Ecclesiæ. Propter hoc prima mulier facta est de latere Viri dormientis, & appellata est vitamater quæ vivorum, magnum quippè significavit bonum ante magni prævaricationis malum. In habitaculo jacentis & dormientis hic secundus Adam inclinatio capite in cruce dormivit ut inde es formaretur conjux, quod de latere dormientis effluxit. Ethæc de scripturæ testimonio pro Sacramentorum binario ex Augustini sententia, in quam si ulterius inquiramus, sicut supra ex Chementio prolixè est ostensum, quam variè Augustinus & quam latè significatione Sacramenti vocabulo usus sit, ita hic omninò ex eodem repeti debet, Augustinum plura quidem numerare Sacramenta, ut tamen primo, illustri, præcipuo, peculiari & distincto posuerit loco Baptisimum & eucharistiam, duobus testimoniis sequentibus id satis apertè significantibus, ex quibus primum hoc est: *Panem pro multis, eaque factu facilissimam, & intellectu augustissimam, & observatione castissimam ipse Dominus & Apostolica tradidit Disciplina, sicuti est Baptismi Sacramentum & celebratio corporis & sanguinis Domini.* Alterum: *Domini noster IESVS Christus in Evangelio Sacramentis numero paucissimis, observatione facilissimis, significatione præstantissimis, societatem novi populi colligavit, sicuti est Baptismus Trinitatis nomine consecratus, Communicatio corporis & sanguinis ipsius, & si quid aliud in scripturis Canonicis commendatur.* *Bellarminus* quidem ad duo hæc testimonia responderet, Augustinum in illis non dicere, duo tantum esse Sacramenta, sed duo tantum ponere exempli loco, particulam sicut enim apertè id indicare, quin & simul plura, quam hæc duo esse, aliis insuper accedentibus locis parallelis, iis præsertim, ubi aliorum quoque Sacramentorum, quàm duorum tantum materiam nominantur. Sed nihil hæc obstant, quò minus fixum maneat, Augustino hæc duo Sacramenta, utpotè non semel copulata, acin specie præ aliis, quæ latiori sensu ita dicebantur, insigniter commendata, pro præcipuis fuisse habita. Et quæ ante cætera hoc elogium mereantur. Certè si illo jam tempore numerus obtinuisset septenarius, aut si ea, quæ hinc inde Sacramenta dixit, omnia agnovisset esse Sacramenta propriè sic dicta, non potuisset dicere *numero paucissima, vel promultis parca*, quæ credere faciunt, Augustinum cætera, quæ hic & ibi in scriptis ejus occurrunt, non tam pro Sacramentis, quàm pro Sacramentalibus ceremoniis habuisse. Et dum *Bellarminus* neque ex Augustino, neque ex alio Ecclesiæ Doctore ante & post Augustinum usque ad *Lombardum*, duodecimi demum seculi Authorem hujus numeri expressum definitionem potuit ostendere, ipse etiam *Lombardus**

Lib. 3. de
Doctr.
Christ.
cap. 9.

Epist. 118.
ad Jan.

Tract. 120.
in Joh.
cõf. Ennar.
in Psal. 40.

bardus nullius ante se scriptoris Ecclesiastici auctoritatem ad hujus numeri cettitudinem potuit laudare, novitas ejus merito Evangelicis & suscepta, & eò magis quidem, quo majori impetu eum Tridentini Patres Ecclesiæ, contra antiquam consuetudinem, & quod antehac per se sequi mille Annos nulla synodus unquam fuit ausa, sub anathematis fulmine obruserunt, non tamen apud omnes id, quod voluerunt, obtinentes, Evangelicis adhuc per DEI gratiam in pristina libertate stantibus, inque eorum Sacramentorum usu, quæ citra omne dubium agnoscunt Authorem & Institutorem Christum, omnino contentis.

CAPUT TRIGESIMUM & SECUNDUM,

De

Ceremoniis Sacramentorum.

Agnoscit Bellarminus, fateri Evangelicos, necessarias esse aliquas ad Sacramentorum administrationem ceremonias, præter eas quibus essentia Sacramentorum continetur; eas autem ceremonias esse adhibendas, quæ in scripturâ habent vel mandatum, vel exemplum, videlicet pro imitatione commendatum; quin & posse Ecclesiam de iis, quæ habentur in scripturis, certum ordinem & modum aliquem statuere, quo nimirum observandæ sint, ne oriatur confusio. Etsi autem insufficientes hæc videri possit enumeratio partium sententiæ Evangelicorum de Sacramentorum ceremoniis, grata tamen est hæc adversarii confessio, ne videlicet omnes videamur contemnere ceremonias in Ecclesia olim usitatas, quibus mediam servare viam in hæc etiam quæstione videtur tutissimum, ex unâ nimirum parte fugientibus eorum austeritatem, qui omnes omnino Ceremonias contemnunt, in defectu peccantes; ex alterâ autem è contrario eorum nimiam facilitatem, qui omnes admittendas censent, sub certâ quâdam Divini cultus specie commendatas, in excessu peccantes. Quamvis etiam existimet Bellarminus, injuriam fieri Doctoribus Papæis, dum multa in ceremoniis eorum ab Evangelicis dicit reprehendi, quæ mendaciâ tantum sint, non dogmata; ex subjectis tamen ab eo diversis sex propositionibus, quibus Ecclesiæ Romanensis doctrinam complexus est, adparet, multum eos hic etiam ab orthodoxæ antiquitatis sententiâ discessisse, in primis quod Augustini auctoritatem attinet, quæ hic quam maximè ex instituti ratione attenditur. Nam quod aliquas ex ceremoniis Sacramentalibus *vim habere spiritualem* scribit, quod etiam insuper statuit, *posse Ecclesiam novas instituere ceremonias, non quidem ad impium justificandum, sed tamen ad alios effectus spirituales; & quod instituta ab Ecclesiâ ceremonie non possint omitti sine peccato, imò quod ceremonie non sint res indifferentes, sed utiles, meritorie, & pars quædam cultus divini*, præter quia & contra sensum & mentem antiquorum Ecclesiæ Doctorum, adeoque & Augustini dicuntur & defenduntur, occurrunt quidem hic & ibi in dictarum Bellarmini propositionum explicatione aliqua veterum, & hinc etiam Augustini testimonia, quæ tamen, dum de hujus & illius in specie Sacramenti ceremoniis agunt, commodiùs ad speciale eorum examen reservantur. Nunc illud solum Augustini testimonium restat vindicandum, quod eam continet querelam, quâ suo jam tempore aliquos Ecclesiam multitudine ceremoniarum onerasse scripsit, ut tolerabilior ei visa fuerit Judæorum conditio; id enim Bellarminus eripere conatur Evangelicis, observans, *Augustinum loqui de ceremoniis, quas privati homines & Muliercule imprimis sibi met ipsis impositæ sint*. Ut quid de ipso Augustini testimonio & Bellarmini responso sit habendum, lectori constat, ex laudatâ & antecedente ejus Epistolâ quædam repeti debent multum profutura. In priori quidem interrogatus à Januario sanctus Pater de ceremoniâ quâdam Sacramentali Eucharisticâ postquam ipsos ritus Sacramentales novæ legis tanquam extra omne dubium idèò, quia ab ipso met Christo præscriptos commendavit observandos, verbis ad præcedentem Controversiam laudatis & contra Bellarminum vindicatis, duplex adhuc ceremoniarum Ecclesiasticarum genus descripsit, inque sequentes duas divisit classes; *illa quæ non scripta, sed tradita custodimus, quæ quidem toto terrarum orbe observantur, dantur intelligi vel ab ipsis Apostolis, vel plenariis Conciliis, quorum est in Ecclesiâ auctoritas saluberrima, commendata atque statuta retineri, sicut, quod Domini Passio, & resurrectio & Ascensio in cælum, & Adventus de cælo Spiritus Sancti, anniversariâ solennitate celebrantur, & si quid aliud tale occurrit, quod servatur ab universa, quacunque se diffundit, Ecclesiâ.* Alia verò, quæ per loca terrarum regioneq; variantur, sicut est, quod alii jejunt Sabbatho, alii verò non; alii quotidie communicant corpori & sanguini Dominico, alii certis accipiunt diebus; alibi nullus intermittitur dies, quo non offeratur, alibi Sabbatho tantum & Dominico, alibi tantum Dominico, & si quid aliud

Epist. 119.
cap. 19.

„ aliud hujuscemodi potest animadverti, totum hoc genus rerum liberas habet observa-
 „ tiones, nec ulla est in his melior gravi prudentique Christiano disciplina, quam ut eo
 „ agat modo, quo agere viderit Ecclesiam, ad quamcunque forte devenit. Quod enim
 „ nec contra fidem, nec contra bonos mores injungitur, indifferenter est habendum, &
 „ pro eorum inter quos vivitur, societate servandum. *Et ne sanctus Doctor solus ita sen-*
 „ *sisse videatur, ad Ambrosii consensum & auctoritatem provocat, sequentem memorans de*
 „ *eo & matre historiolum: Mater mea mediolanum me secuta, invenit Ecclesiam Sabba-*
 „ *tho non jejunantem. Cœperat perturbari & fluctuare, quid ageret, cum ego talia*
 „ *non curabam? Sed propter ipsam consului hanc de re baptisimi memoriæ Virum Am-*
 „ *brosum. Respondit, se nihil docere me posse, nisi quod ipse faceret, quia si melius nos-*
 „ *set, id potius observaret. Cumque ego putassem, nullâ ratione reddita, solâ autho-*
 „ *ritate suâ voluisse nos admonere, ne Sabbatho jejunarem, secutus est, & ait mihi:*
 „ *Cum venio Romam, Sabbatho jejuno; cum hic sum, non jejûno. Sic etiam tu, ad quam*
 „ *forte Ecclesiam veneris, ejus morem serva, si cuiquam non vis esse scandalo, nec quæquam*
 „ *tibi. Hoc cum Matri renuncialem, libenter est amplexa. Ego autem de hac sen-*
 „ *tentiâ etiam atque etiam cogitans ita semper habui, tanquam cœlesti eam oraculo su-*
 „ *scepissem. Senti enim sæpè dolens & gemens, multas infirmorum perturbationes fieri*
 „ *per contentiosam quorundam fratrum obstinationem & supersticiosam timiditatem,*
 „ *qui in rebus hujusmodi, quæ nec scripturæ sanctæ auctoritate, nec universalis Ecclē-*
 „ *siæ traditione, nec vitæ corrigendæ utilitate ad certum possunt terminum pervenire,*
 „ *tantum quia subest qualiscunque ratiocinatio cogitantis, aut quia in suâ sic ipse consu-*
 „ *vit patriâ, aut quia ibi vidit, ubi peregrinationem suam, quo remotiorem à suis, eo do-*
 „ *ctiorem putat factam, tam litigiosas excitant quæstiones, ut, nisi quod ipsi faciunt, nihil*
 „ *rectum existiment. In posteriori ad eundem Ianuarium Epistolâ de eadem quæstione hac*
 „ *notatu & quam-maximè observatu digna habet Doctor augustus: Miror, quid ita vo-*
 „ *lueris, ut de iis, quæ variè per diversa observantur loca, tibi aliqua conscriberem; cum*
 „ *& non sit necessarium, & una in his saluberrima regula sit retinenda, ut quæ non sunt*
 „ *contra Fidem, nec contra bonos mores, & habent aliquid ad exhortationem vitæ*
 „ *melioris, ubicunque institui videmus, vel instituta cognoscimus, non solum non im-*
 „ *probemus, sed laudando etiam & imitando sectemur, si aliquorum infirmitas non ita*
 „ *impedit, ut amplius sit detrimentum: Si enim eo impediatur modo, ut majora studiorum*
 „ *lucra sint speranda, quàm detrimenta calumniatorum metuenda, sine dubitatione*
 „ *faciendum est, maxime illud, quod etiam de scripturis defendi potest. Et post aliqua:*
 „ *Hoc nimis doleo, quia multa, quæ in Divinis libris saluberrima sunt præcepta, minus*
 „ *curantur, & tam multis præsumtionibus sic plena sunt omnia, ut gravius corripitur, qui*
 „ *per octavas suas terram nudo pede tetigerit, quàm qui mentem violentiâ sepelive-*
 „ *rit. Omnia itaque talia, quæ neque sanctarum scripturarum auctoritatibus conti-*
 „ *nentur, nec in Conciliis Episcoporum statuta inveniuntur, nec universæ Ecclesiæ con-*
 „ *suetudine roborata sunt, sed diversorum locorum diversis moribus innumerabiliter va-*
 „ *riantur, ita ut vix, aut omnino nunquam inveniri possint causæ, quas in eis influen-*
 „ *tis homines sunt secuti, ubi facultas tribuitur, sine ullâ dubitatione existimo resecanda.*
 „ *Quamvis enim neq; hoc inveniri possit, quomodo sint contra fidem; ipsam religionem*
 „ *tamen, quam paucissimis & manifestissimis celebrationum Sacramentis Misericordia*
 „ *DEI liberam esse voluit, servilibus premunt oneribus, ut tolerabilior sit conditio Jude-*
 „ *orum, qui etiam si tempus libertatis non agnoverint, legalibus tamen sarcinis non hu-*
 „ *manis præsumtionibus subjiuntur. Sed Ecclesia DEI inter multam paleam, multa-*
 „ *que Zizania constituta multa tolerat, & tamen quæ sunt contra Fidem vel bonam vi-*
 „ *tam, non adprobat, nec tacet, nec facit. Hæc Augustini & Ambrosii monita, à Gra-*
 „ *tiano etiam Juri Canonico inserta, multum hodiè possunt inservire, ubi de Ceremoni-*
 „ *arum Ecclesiasticarum inter Evangelicos varietate agitur, ut potè quæ non raro & sim-*
 „ *plicioribus rerum inexpertis, & qui externa magis, quàm interna solent attendere, alicu-*
 „ *jus scandali causam præbent, dum hic & ibi non omnia iisdem in Ecclesiâ ritibus agi vident,*
 „ *& hostes insuper à diversitate ceremoniarum ad disensum in ipsis Fidei capitibus incon-*
 „ *sequenter nimis argumentari faciunt, imò, quod experientiâ constat, Apostata etiam*
 „ *non raro hanc discessus sui ab Evangelicorum cœtibus ansam audeant prætexere, quod*
 „ *cultus publici rationem non ubi vis eandem observaverint, rem hanc non nisi suspectam*
 „ *& causâ non adeò bonæ indicinam putantes; quod omne scandalum facili operâ posset*
 „ *evitari, si hæc sancti Patris augustissimi que Doctoris hausta ex ore Ambrosii monita & o-*
 „ *racula*

Facula ad animum vocarentur, idque etiam debitam cum applicatione observaretur, quod celebris hodie scriptor adversariæ partis, *Honoratus Fabri*, in rem hanc satis accommodatè scripsit: *Quod pertinet ad Sacros ritus, non nego, aliquos fuisse mutatos, pro diversis temporum ratione. Cum enim usus illorum liber Ecclesiæ sit relictus, non video, cur diversos diversis temporibus præscribere nequeat. Nempe, dum maneat integra Divinarum, quas Christus reliquit nobis, institutionum substantia, quidam exterius quasi indumentum, prout ratio postulat, aliquando mutetur?* Et si enim verba hæc de diversitate ceremoniarum quoad circumstantiam temporis agant, aptissimè tamen ad circumstantiam loci etiam referri possunt, imò debent juxta monitum *Ambrosii*, quod Augustinus oraculi instar se habuisse & *Matri* scandalum aliquod super diversitate ceremoniarum Ecclesiæ *Mediolanensis* & *Romanæ* patienti commendasse scripsit. Neque *Papæ* in specie habent, ut de diversitate ceremoniarum inter *Evangelicos* conquerantur, dum modò doctrinæ ejusdem systema integrum maneat, ipsis de cætero tantis ceremoniarum in orthodoxâ Antiquitate ignotarum cumulis simpliciorum animos obruentibus, ut plus de illarum, quam legum divinarum observatione esse solliciti cogantur, ac multo rigorosius puniantur, qui illas, quam has transgrediuntur, quod Augustinus quoque inter sui temporis gravamina non immeritò retulit, ac hodiernum ob *Pharisæismum* hunc à *Christo* etiam graviter castigatum, omnes in Ecclesiâ *Papæ Romanâ* locos occupantem, referri ante omnia debeat & possit. Et nihili est omnino, quod *Bellarminus* objicit vel excipit, ne querela Augustini locum habeat aut ad hæc tempora commode accommodari possit, loqui cum de ceremoniis, quas homines privati, & muliercula in primis, sibi met ipsi imposuerint; cum integer Augustini textus apertissimè ostendat, agere eum de ceremoniis in quavis Ecclesiâ particulari publicis & publicâ consuetudine receptis. Laudatos equidem modò scriptor adversarius rem hanc sequenti modo studet emollire: Scio, non nullas superstitiones à non-nullis imprudenter induci, captatâ scilicet occasione ab aliquo ritu sacro. Scio, non nulla per simplicitatem admisceri, quæ aliqua indigerent emendatione. Sed aliquid simplicium pietati indulgendum, præterquam quod id sacris ritibus tribuendum non est, quod à non-nullorum imprudentia & simplicitate profectum est. Sed valde dubito, an emplastrum hoc vulneri curando aptum sit & idoneum, & num indulgentia hic circa supersticiosam simplicitatem & imprudentiam, quæ utramque, ut notum est, paginam implet, locum habere possit; præterquam, quod non pauci ritus superstitioni, quibus animi simpliciorum occupantur, & quorum incongruentiam ob stuporem & imprudentiam non advertunt, publicâ autoritate & longâ consuetudine sint recepti, & eo quidem cum Elogio, quod idem scriptor post alios non veritus est eis in genere nullis planè exceptis adscribere: *Vnum adfero, nullum esse ritum ab Ecclesiâ Romanâ toti Ecclesiæ præscriptum, qui cum rectâ ratione (cur non cum Verbo DEI & analogiâ Fidei?) non consentiat.* Et iterum: *Id unum adfero, nullum esse, modo administratum rectè, qui ad religionem DEI, cultum non inducat.* Atqui & gentilium ritus & ceremoniarum ad aliquam religionem Dei que cultum homines induxerunt. Hic autem non sermo est de quacunque religione vel qualicunque cultu DEI, sed de religione verâ & salvificâ, eoque DEI *Trinivius* cultu, quem in verbo nobis revelato clarè satis indicatum habemus, aque Ecclesiâ antehac orthodoxâ, per aliquot seculâ, inter gravissimas tam ab hereticis, & schismaticis, quam à Tyrannis persecutiones, DEI ejusdem gratiâ conservatum scimus, ad quem nos operâ Reformationis, *Lutheri* cœliq; animati ministerio cœptæ & hætenus per successores continuatæ reductos esse, non immeritò gloriamur, Deoque soli debitas pro insigni hoc beneficio agimus gratias, adnexo hoc ad eundem voto, ne ad pristinam superstitionem & supersticiosam simplicitatem, quin & damnabilem imprudentiam redire nos patiatur, postquam femel hoc Jugum excussimus, adque libertatem Christi merito partam & comparatam vocati sumus, valere jussis, non tantum umbris *Judaismi*, sed & illis à *Gentilismo* ceremoniis, quas omninò negare non potuit *Bellarminus*, hoc solum prætendens, idem antehac Christianis objecisse *Manichæos* apud Augustinum, & per instantiam arguens, si argumentum hoc aliquid valeret, *Baptismus* etiam & cæna Domini deberent tolli, cum gentiles etiam usi fuerint *Baptismo*, suos *Mithræ* sacris imitantes, & *Panis Sacramentum* celebraverint, *Tertulliano* in de præscriptionibus teste, *Judæis* quoque frequentibus per aquam expiationibus ex lege præscripta utentibus, quibus & olim non defuerint *Panes propositionis*: neque etiam debere mirum videri, si ceremoniæ Romanensis Ecclesiæ aliquam cum *Judaicis* & *Gentiliis*

lium ritibus habeant similitudinem, cum Iudaici fuerint figura rerum futurarum, & Diabolus tanquam simia DEI semper imitari fuerit conatus Iudaicos ritus à DEO institutos, Tertulliano ibidem id observante. Licet autem in externis (Sacramentorum & Divini cultus) Symbolis aliqua sit similitudo inter Ecclesiam Papæo-Romanensium & Gentilium Iudaicorumque ritus, absolute tamen esse maximum discrimen, cum à sine & intentione sumantur externe actiones speciem suam. Addit pro uberiori explicatione Bellarminus, ritus gentiliū fiebant ad cultum Dæmoniorum, nostri autem fiunt ad colendum verum Deum. Ideo tantum interest inter illos & nostros, quantum inter sacrum & sacrilegium, quantum inter pietatem & impietatem, quantum inter Deum & Diabolum; nam sacrificia etiam erant eadem gentiliū & Iudaicorum, & tamen illa erant idololatrica, ista autem pia & religiosa. Et ita Bellarminus dicit Augustinum respondere Manichæis, atque hunc in modum hodie Evangelicis etiam responderi debere, Romano-Papæis communionem aut potius mutationem ceremoniarum Ecclesiasticarum è Judaismo & Gentilismo objicientibus. Videamus, an verè res ita habeat, & an Bellarminus Augustini responsum ad Manichæorum adculpationem sincerè per omnia expresserit? Adculpationem fausti Manichæorum nomine contra Christianum factam Augustinus verbis exhibet sequentibus: Vos, qui desci-

lib. 20. c. 4.

scitantes à gentibus, Monarchiæ opinionem primò vobiscum divulgastis, id est, ut omnia creditis à DEO; Sacrificia verò eorum vertistis in Agapas, idola in Martyres, quos votis similibus colitis; defunctorum umbras vino placatis & dapibus, solennes gentium dies ut Calendas & solstitia, celebratis cum ipsis, de vitâ cerè mutastis nihil. Estis sanè schisma, à matrice suâ diversum nihil habens, nisi conventum. Partem hujus adculpationis supra etiam habuimus, ubi in specie de votis ad sanctos fuit actum, cum addito Augustini responso, quod plenius nunc exhiberi debet. Notandum verò id, quod Bellarminus non observasse videtur, Augustini responsum ad hanc fausti adculpationem non proximè subungi, sed post multa demùm capita sequi; idque bipartitum esse, id est, non tantum retorqueri adculpationem in adculpatores, sed etiam removeri eam ab adculpatis. Ita autem vindex veritatis Christianæ augustissimus: *Discat Faustus, vel illi potius*, qui eus delectantur literis, Monarchiæ opinionem nos ex gentibus non habere, sed gentes non utique adeò ad

cap. 19. & seqq.

qualiscunque natura. Vos autem & in eo, quod eis similes estis, vani estis; & in eo, quod eis similes non estis, pejores estis. Ad hoc enim cum ipsis Monarchiam non creditis, quod illi verum credunt, ut ipsius DEI unitus substantiam expugnabilem corruptibilemque credatis, quod est impiæ vanitatis. In pluribus autem diis colendis doctrina Dæmoniorum mendaciloquorum illis multa per fusa fit idola, vobis multa phantasmata. Nec sacrificia eorum vertimus in Agapas, sed sacrificium illud intelleximus, dicente Domino, *Misericordiam volo, quàm sacrificium*. Agapæ enim nostræ pauperes pascunt, sive frugibus, sive carnibus. Pascitur enim creatura DEI de creatura DEI, que hominis dapibus congrua est. Vobis autem quia Dæmonia mendaciloqua perualebant, non ad regendam carnem, sed ad exercendam blasphemiam, abstinere à cibis, quos Deus creavit ad percipiendum cum gratiarum actione &c. ingrati (summo) creatori, & pro largis ejus beneficiis, sacrilegas retribuentes injurias, quoniam plerumque in Agapis carnes etiam pauperibus erogantur, misericordiam Christianorum similem dicitis paganorum sacrificiis, quorum non nullis in hoc quoque similes estis. Propterea enim nefas habetis pecora occidi, quia humanas in ea revolvi animas arbitramini, quod in quorundam gentiliū Philosophorum libris invenitur, quamquam à posterioribus aliter intellectum esse dicatur. Verum in hoc etiam multò deterius erratis. Illi enim in pecore timuerunt trucidare proximum suum, vos verò DEUM vestrum, cujus membra esse etiam pecorum animas arbitramini. Nam quod hinc etiam nobis calumniatur faustus, quod iremorias Martyrum honoramus, in hoc dicens Idolanos convertisse; non tam me movet, ut huic calumniæ respondeam, quam ut ostendam, ipsum faustum calumniandi studio ab ipsius etiam Manichæi vanitatibus exorbitare voluisse, & in vulgarem atque Poeticam paganorum opinionem, à quibus alienissimum se cupit videri, nescio, quò modo, incautum incidisse. Cum enim dixisset nos vertisse Idola in Martyres, quos votis similibus colitis, inquit, defunctorum umbras vino placatis & dapibus; sunt ergò umbræ defunctorum? Nunquam hoc audivimus in vestris sermonibus, nunquam in literis legimus; imò talibus contradicere soletis opinionibus, adferentes, animas mortuorum magis minusve purgatas, aut in revolutiones ire, aut in aliquas graviore penas, bonas autem in naves imponi, & in

& in Cælo navigantes transire hinc in illud phantasma terræ luminis, pro quâ pu-
gnando perierant; & ita nullas animas circa suorum corporum sepulchra detineri.
Unde igitur umbræ defunctorum? quæ substantia earum? quis locus. Sed male-
dicendi cupiditate Faustus, quid profiteretur, est oblitus, aut fortè dor-
mitans umbras somniando dictavit, nec, cum sua legeret verba, evigilavit. Po-
pulus autem Christianus memorias Martyrum religiosâ solennitate concelebrat &
ad excitandam imitationem, & ut meritis eorum confocietur atque orationibus
adjuvetur; ita tamen, ut nulli Martyrum DEO, quamvis in memorias Marty-
rum, constituamus Altaria. *Cætera, quæ sequuntur, loco supra citato possunt legi. Post*
aliqua addit: Qui dicit, nihil nos mutasse de moribus gentium, nesciens est, quid
loquatur. Cum enim iustus ex fide vivat, finisque præcepti sit charitas de corde
puro, & conscientia bonâ, & fide non fictâ; maneatque ad confirmandam fide-
lium vitam tria hæc, fides, spes, charitas; unde fieri potest, ut pares cum ali-
quo mores habeat, qui hæc tria cum illo paria non habet? Qui enim aliud cre-
dit, aliud sperat, aliud amat, necesse est, ut aliter vivat. Et si usus quarundam
rerum similis esse videtur nobis cum gentibus, sicut cibi & potus tectorum, ve-
stimentorum, lavacrorum, & qui ex nostris conjugalem vitam gerunt, hæreditan-
dorum; longè tamen aliter his rebus utitur, qui ad alium finem refert usum earum,
& aliter, qui ex his DEO gratias agit, de quo prava & falsa non credit. Sicut
enim in ipso errore vestro, cum eo pane vescamini, quo cæteri homines, & fru-
ctibus vivatis & fontibus, lanâ & lino similiter texto amiciamini, nec tamen in his
parem ducitis vitam, non aliud edendo, aut bibendo, aut induendo, sed aliud sen-
tiendo & credendo, & ad alium finem ista omnia referendo, finem scilicet erroris
vestri atque vanitatis; ita nos & in his & in aliis, quæ similiter sumimus, non simi-
liter vivimus cum gentibus, easdem res non ad eundem finem referendo, sed ad
finem legitimi divinique præcepti &c. Ultima hæc Augustini verba non adposuif-
sem, utpotè quæ præsentis instituto non adedò multum infervire videntur, nisi iisdem
in eodem negotio observassem uti *Johannem Filescum*, Parisiensem Theologum, Select. lib.
2. pag. 163.
scqq.
qui insuper alia quatuor testimonia ex Augustino commendat, quibus adulationem
de mutatione ceremoniarum è gentilismo inprimis repellere studuit, utut frustra &
in vanum. Primum est: *Hoc prætereundum non est, quod Templum, Sacerdotes, sa-*
crificia & alia quæcumque ad hæc pertinentia, nisi uni vero DEO deberi nosset Dii falsi,
hoc est, Dæmones, qui sunt Angeli prævaricatores, nunquam hæc sibi à cultoribus suis,
quos decipiunt, expetiissent. Secundum: *Pagani diis suis edificarunt Tempia & sta-*
tuerunt aras, & Sacerdotes instituerunt, & sacrificia fecerunt. Nos autem Martiri-
bis nostris non Tempia, sicut diis, sed memorias, sicut hominibus mortuis, quorum spiri-
tus apud DEVM vivunt, fabricamus; nec ibi Altaria erigimus, in quibus sacrificemus
Martyribus, sed uni DEO & Martyrum & nostro immolamus sacrificium. Et paulò
post: *DEO non ipsis sacrificat Sacerdos, quamvis in memoriâ eorum, quia DEI Sa-*
cerdos est, non illorum; ipsum verò sacrificium corpus est Christi, quod non offertur ipsis,
quia hoc sunt & ipsi. Tertium: *Superstitiosum est, quidquid ab hominibus est insti-*
tutum, pertinens ad faciendâ idola & colenda, vel ad colendam creaturam, partemve
creature ullam, sicut DEVM. Et de hoc Augustini testimonio observat *Filescus*, si
nihil aliud occurreret, quod Ceremoniarum iniquis reprehensoribus posset re-
poni, illud cuique moderatori sufficere arbitraret. Quis enim, inquit, in Cere-
moniis nostris ab Ecclesiâ institutis & probatis aliquid perfimile deprehendat, nisi
meris calumniis & mendaciis fidem omninò adhibendam adfirmet? Quartum de-
indè subjungit testimonium, quo sanctum Patrem totum hoc de gentilium imi-
tatione *argumentum lepidè & acutè scribit* explanare: *Nos non pro-*
pter superstitionem profanorum debemus Musicam fugere, si quid inde ad intelligendas
S. Scripturas utile potuerimus rapere, nec ad Theatras illorum nugæ converti, si aliquid
de Citharis & organis, quod ad spiritualia valeat capiendâ, disputemus. Neque enim & lite-
ras discere non debuimus, quia earum repertorem dicunt esse Mercurium; aut quia Iustitia
Virtutisque Tempia dedicarunt, & qua corde sunt gestandâ, in lapidibus adorare maluerunt,
propterea nobis Iustitia virtusque fugienda est. Imò, quisquis bonus verusque Christianus
est, Domini sui esse intelligat, ubicumque invenerit, Veritatem, quam confitens & agno-
scens etiam in literis sacris, superstitiosa repudiet figmenta, doleatque homines atque ca-
veat

veat, qui cognoscetes Deum, non ut Deum glorificaverunt aut gratias egerunt. Adde Filefacus, Locus hic non otiose & perfunctorie legendus mihi videtur, ut potest, qui ad Questionem, quæ de agitur, & explanandam & illustrandam conferat plurimum. Si enim veritas, ubicunque reperitur, seu apud gentiles, seu apud alios, DEI esse dicatur; non minus ejusdem esse dicitur, quidquid actum fuerit & institutum, quod suapte naturam unius Divini Numinis honori congruere videatur, licet voluntate hominis prævã creaturæ potius, quam DEO tributum sit. Neque contentus his quatuor prolixioribus, duo adhuc breviora ex eodem Augustino subnectit. Prius: *A quounque verum dicitur, illo donante dicitur, qui est ipsa veritas.* Posterius: *Luculentis ingenii non desit resplendentia veritatis.* Illud verò præcipuum esse putat, quod scripsit: *Nonne cum Mose DEVS loquebatur, & tamen consilium regendi atque administrandi tam magni populi à Socero suo, alienigena scilicet homine, & maxime providus & minime superbus accepit? Nonne enim vir ille, ex quacunque anima verum processisset consilium, non ei, sed illi, qui est veritas, incommutabili DEO tribuendum esse.* Sed fallitur & Bellarminus & Filefacus, & quicunque existimant, his augustissimi Doctoris Patrisque sancti testimonium depelli posse de mutatione ceremoniarum à Gentilismo adulationem. Si enim omnia & singula hæc Augustini loca à propriis examinarentur sedibus, manifestum fieret, parum, si non planè nihil ea ad præsens institutum conducere. Status enim Controversiæ non in eo versatur, an nihil omninò boni Gentiles sciverint vel habuerint, id enim negare, esset legem naturæ omnium cordibus Apostolo doctore inscriptam negare, Deumque adulare, quod gentibus nihil omninò de suã cognitione reliquum fecerit, eosque planè & in totum deseruerit. Neque id etiam venit in questionem, an Gentiles Sathanam instigatore à Judaismo aliquas mutari sint ceremonias, est enim id etiam extra omne dubium, publicisque scriptis Evangelicorum quoque studio prolixissimè ostensum. Verum hoc est, quod hic quam-maximè urgetur, an licitè à Gentilismo ceremonie in Ecclesiam ad Trinum DEI cultum sint translatae, iisque verus & unus ritus colatur DEUS, quibus, non dicam Deatri & Idola, sed ipse Sathan per ea & in eis fuit cultus & adoratus? Notum est enim, quã sollicitudine & curã antehac caverint Christiani, ne quid à Gentilismo, quem ad Evangelium de Christo vocati deseruerunt, impari adhereret. Notanter id ad Tertullianum seculo antecedente B. Rhenanus in argumento libri de Coronâ Militis sub initium observavit, scribens: *In ipsis Christiana Fidei visis, quia paulatim Ethnicis nostris adjungebant, opus omninò fuit, ut à profanis Gentilium ceremoniis caverent, qui Christo dedissent nomen. Itaque non solum ab his temperandum fuit, quæ manifestam præ se ferrent impietatem, sed etiam ab illis, quæ possent in differentia vocari, hoc est, neque bona, neque mala, partim ne quisquam infirmior ex Christianis offenderetur, partim ne Ethnicis in suis confirmarentur erroribus, dum rectius putant, quod à Christianis etiam observari vident.* Et quia Faustum supra Christianis observationem quoque dierum apud gentiles solemnium, ut Calendarum & Solstitiorum objecisse vidimus, hinc prætermitti non debet, quod ea de re graviter alibi monuit Augustinus: *Quis estimaret, quàm magnum sit peccatum, dies observare, & menses & annos & tempora, sicut observant, qui certis diebus, sive mensibus sive annis volunt vel nolunt aliquid inchoare, eò quod secundum vanas hominum doctrinas fausta vel infausta existiment tempora, nisi hujus mali magnitudinem ex Apostoli amore pensarem, qui talibus ait: Timeo, ne forte sine causa laboraverim in vobis.* Quam Apostoli sententiam alibi latius & ex professo tractans Augustinus, ubi non de Judæis, sed de gentilibus etiam intelligi posse ostendit, ne quid præscribere videatur, addidit: *Eligat lector, utram volet sententiam, dummodo intelligat, ad tantum anime periculum pertinere superstitionas temporum observationes, ut huic loco subiceret Apostolus, Timeo, ne forte sine causa laboraverim in vobis, id quod Author Notarum ad Jus Canonicum, ubi Gratianus utrumque hoc Augustini testimonium adduxit, ex eodem non malè observavit. Quorsum pertinet ille etiam locus, qui sub Augustini nomine in eodem Jure Canonico verbis legitur sequentibus: Non observetis, dies qui dicuntur Aegyptiaci, aut Calendarum Ianuarii, in quibus Cantilena quedam, & comestiones, & dona ad invicem donantur, quasi in Anni principio, boni sati augurio, aut aliquot menses, aut tempora, aut dies, Annos, aut luna solisque cursum, quia qui has aut quascunque Divinationes, aut fata, aut auguria observat aut attendit, aut consentit observantibus, & sine*

Epist. 28.
& 52.Præf. ad
libr. de
Doctr.
Christ.vid. Dilh.
Disput.
Tom. II. p.
162. &
seqq.Enchir. ad
Laur. cap.
79.

Galat. 4.

cap. 27.
qu. 7.

et sine causa, magis ad sui damnationem, quam ad salutem tendit. Hæc si cum antecedentibus Augustini testimoniis conferantur & probè ponderentur, adparet inde, Augustinum adulationes Fauſti & Manichæorum contra Christianos partim in aduersarios reſtorſiſſe, ut à principio ſtatim monui, partim Chriſtiani à Gentilibus mutuo ſumſiſſe videri poſſunt, ut pote omnibus modis mores Gentilitios in communi etiam vitâ fugientes. Alia autem planè ratio eſt illius aduſationis, quâ hodiè Romano-Papæi accuſantur, quod plures in cultu publico Ceremonias à Gentilibus mutuo acceperint ut pote quam tantum abeſt, ut à ſe depellere conentur, ut potius illam mutuacionem omnibus modis ſtudeant defendere, oſtenſum id eſt antehac juſto Nicolai Hunni, Theologi laborioſiſſimi pariter & iudicioſiſſimi commentario non ita pridem recenter edito de Apoſtaſi &c. Et referri huc debet, quod de opere *Singularium Martini de Roa*, itidem nuper modò Lugduni in Galliis reſcuto D. *Dorſcheus*, Præceptor deſideratiſſimus iudicavit, *Authorem hunc in hiſce Singularibus ſuis in eo totum eſſe, ut Chriſtianos, quos vocat, ritus ex Ethnicismo deriuet.* Nimirum quanto olim ſtudio Sathanas DEI ſimiaritus populi Judæorum ſuis commendavit cultoribus, quantâ poſtmodum ſollicitudine Apoſtolorum ductu veteres Chriſtiani uerunt, ne quid fermenti conuerſis è Gentiliſmo adhæreat, de quâ teſtimonium præbere poſſunt laudatæ Auguſtini contra Manichæorum aduſationes Vindiciæ; tanto fervore è contrario hodiè defenduntur ceremoniæ, ut uocantur, Eccleſiaſtica, quas è Gentiliſmo mutuatas non inſiciantur, ſed agnoſcunt & pro eis tanquam pro Aris & foris pugnant Doctores Papæi, in hoc etiam à ſinceritate Auguſtiniã quam-maximè recedentes. Et hæc quidem de Ceremoniis occasione teſtimonii illius Auguſtiniã contra Bellarminum hætenus vindicati dicta poſſent ſufficere, niſi unicum adhuc reſtaret, hic non omninò prætermittendum. Nimirum ad cæteras in Eccleſiã Papæo-Romanã ceremonias reſert Bellarminus etiam Latini Idiomaticis in Sacramentorum adminiſtratione uſum, hanc de eo faciens poſt alias propoſitionem: *Sapientiſſimè inſtitutum eſt, ut in Eccleſiã latinã latinè Sacramenta adminiſtrentur.* Non repeto, quæ ſuprà de editionibus Bibliorum vulgatis ex Auguſtino contra Bellarminum obſervavi, huc etiam omninò pertinentia. Illud tantum noto, Bellarminum non potuiſſe huius ſuæ Propoſitionis ueritatem ullo antiqui Doctoris, adeò nec Auguſtini etiam autoritate firmatam lectori ſiſtere, recentioribus *Iſidori, Alcuini, Amalarii, Rabani, Strabonis, Micrologi, Ruperti, Thomæ VValdenſis*, qui de diuinis in Eccleſiã officiis ſcripſerunt, nominibus contentum, eo quemet ipſo iterum de nouitate huius ſuæ propoſitionis & contenti in eâ dogmatis domeſticum teſtem & ingenuum confeſſorem. Benè antehac, ut & aliàs non ſemel, ſcriptor ſeculi antecedentis maximi in multi iudicii, *Georgius Caſſander*, in deſenſione libelli de officio pii Viri: *optandum uideretur, ut iuxta Apoſtolicum mandatum & priſcum Eccleſiæ morem in publicis Eccleſiæ precibus, cantionibus & lectionibus, quæ populi cauſa ſuſcipiuntur, populi quoque ratio aliqua habeatur, neque in totum & perpetuò ab omni Communione precum & lectionum diuinarum vulgus fidelium arceatur. Maniſta ſunt Pauli uerba, non intelligi poſſe, quod dicitur, niſi per linguam ſignificantem exprimas ſermonem; & cum, qui ob imperitiã, quod dicitur, non intelligit, fieri non poſſe, ut ad alterius gratiam actionem Amen reſpondeat. Et oraculum illud, cuius monitu Pontifex Romanus cum Senatu Cardinalium genti Sclavorum conceſſiſſe dicitur, ut Patriã linguã in Sacris operandis uterentur, ad omnes Chriſtiani nominis gentes pertinere uideretur. Omnis ſpiritus laudet Dominum, & omnis lingua confeſteatur. Et Thomas Cajetanus, Vir haud dubiè doctiſſimus & acutiſſimus alicubi ſcripſit, melius eſſe ad edificationem Eccleſiæ, orationes publicas, quæ audiente populo dicuntur, linguã vulgari in Eccleſiã dici, quam Latinã; idque, cum à quibuſdam reprehenderetur, reſpondit ſe fundiſſe ſuper doctrinã Pauli. In margine editionis Pariſinæ additur: *Huius Voto ſuffragatur Eraſmus, de modo orandi, ſcribens: Optandum eſſet, ut totus cultus diuinus linguã toti populo notã perageretur, quem ad modum olim fieri conſuevit, omniaque ſic explanatè diſtinctè que ſonarent, ut ab attentis poſſent intelligi. Id quod huic**

Quæſtioni omnio fuit addendum.

De Miſſã,
cap. 12. §.
31. p. 341.

Oper. pag.
m. 265.
Edir. Pariſ.

1. Cor. 14.

Contro-